DE

CONFORMATIONUM USU AESCHYLEO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HERMANNUS RITTERS

DITMARSUS HOLSATORUM.

LIPSIAE,

TYPIS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXXII.

Praefatio.

Elocutionis Aeschyleae quod omnes fere veteres existimatores laudibus efferunt σεμνότητα et μεγαλοπρέπειαν[1]), spectasse videntur non modo sententiarum maiestatem sublimitatemque vel verborum gravitatem vel inusitatas loquendi formulas dictionesque[2]), verum etiam figuratum dicendi genus, quo ad fabulas exornandas atque illustrandas usus est poeta. Invenitur enim apud Aeschylum infinita fere varietas ac copia imaginum metaphorarumque persaepe audaciorum, quam quas alii poetae tragici adhibuerint.

Quas poetarum translationes imprimis apud Graecos, qua erant animi alacritate, frequentatas indagare cum et multum habeat oblectationis, et nonnihil afferat non modo ad poetarum ipsorum naturam indolemque, sed omnino ad veterum mores et instituta recte intellegenda, quid mirum, si nostrae aetatis viri docti troporum metaphorarumque usum accuratius inspexerunt atque examinaverunt? Namque vix quemquam, qui primoribus tantum labris poetarum carmina attigerit, fugere poterit ex imaginibus, quibus sunt usi, et quem ipsi vitae cursum tenuerint quarumque rerum cognitione imbuti fuerint effici cogique posse, et aequales quibus moribus institutisque floruerint, quibus in rebus maxime sint versati, quas occupationes, quae studia in deliciis habuerint, quae neglexerint. Sicut enim poetam ad carmina ornanda atque illuminanda eas imprimis imagines usurpare apparet, quas suus vitae usus, sui mores studiaque ei suppeditant, ita, siquidem popularis vult esse, translationes et similitudines, quibus quam maxime perspicuum dilucidumque reddat sermonem, eas proferre non debet, quae a moribus civium, a vitae consuetudine, a totius terrae natura abhorreant, quippe cum ii qui audiant non tam cogitando fatigari quam moveri et delectari velint.

Quibus de causis nostrorum quidem temporum viri docti, ut supra dictum est, singulorum poetarum usui dicendi metaphorico diligenter exquirendo maxime, ut par est, operam dederunt. Imprimis tragici Graeci Pindarusque digni visi sunt, quorum figuratum dicendi genus accuratius pervestigaretur. Praeter eas quaestiones,

quas in margine ascripsi[3]), in Aeschylum, quod sciam, accuratius inquisiverunt quaestionesque elegantes et nitidas conscripserunt Schulze in commentatione, quae inscribitur: de imaginibus et figurata Aeschyli elocutione (progr. gymn. Halberstad. 1854), qui ex omnibus figuratae elocutionis generibus multa eaque gravissima exempla collegit atque exposuit, propter spatium tamen exiguum, quod programma praebebat, minoris ponderis imagines omisit; Tuch: de figurata Aeschyli elocutione (progr. Viteberg. 1869), qui eas praecipue translationes indagavit et protulit, quae a rerum natura, a navigatione, venatione, agricultura, vita humana petitae sunt; Sven Dahlgren: de imaginibus Aeschyli (Holmiae 1877), qui altera commentationis parte „in universum de vi et natura imaginum“ copiosius agit (usque ad p. 27), altera naturam rerum, vitam humanam deosque spectat. Idem iam a. 1875 „de Aeschyli metaphoris et similitudinibus a re navali deductis“ scripsit, sed ita, ut ne fragmenta quidem respexerit, quia „tempus sibi defuerit“, (cf. p. 17); K. Frey: Aeschylus-Studien, Bern 1879 (II. Die Vergleichungen des Aeschylus.).

Itaque cum hi viri docti in tanta vi et varietate translatae dictionis latiores fines sibi constituerint, quam ut singula quaeque cum pulvisculo exhaurire possent, haud inutile visum est denuo perscrutari elocutionem Aeschyleam. Iam vero ut paulo accuratiores quaestiones nostrae evaderent, intra artiores terminos eas coërcere nobis proposuimus, atque ita quidem, ut id tantum metaphorarum genus pertractaremus, quod plus minusve huc usque neglectum est, quodque nihilominus dignum videtur esse, quod primum figuratae elocutionis locum obtineat, eas dico imagines, quibus res inanimae et notiones mentis quasi vivae, sive hominis sive animalis specie et natura praeditae, aspectui subiciuntur.

Quae ut confirmem auctore utor Fr. Th. Vischero[4]) (Aesthetik III, § 850, p. 1216), ubi haec fere dicit poetarum esse maxime id curare, ut ii qui audiant non modo verba et litteras auribus percipiant, verum etiam voluntatem et sententiam, atque ita quidem, ut ea, quae verbis explicanda sint, quasi vitā induta et in conspectu posita videant.

Illustri igitur perspicuoque dicendi genere ante omnia poetis esse utendum, sive eorum qui audiant mentes sedare sive excitare velint, cum omnes facile consentiant, id nulla alia ratione eos pariter assequi posse manifestum videtur atque ea figurata dictione[5]), qua non modo ea, quae in conspectum cadunt, sed etiam ea, quae nisi mentibus non possunt comprehendi, tanquam viva sentientia agentia effinguntur oculisque proponuntur, quaque vel res corporeae animo menteque, vel ea, quae corpore carent, corpore induuntur.

Conformationes vero quantum valeant quantique momenti sint ad naturam singulorum poetarum studiaque, in quae incubuerint, cognoscenda, large copioseque exposuit vir doctissimus C. C. Hense in libris, qui inscribuntur: poetische personification in griechischen dichtungen mit berücksichtigung lateinischer dichter und Shakspere's, I. Hal. Sax. 1868; — beseelende personificationen in griechischen dichtungen etc., progr. I. Parchim 1874; II. Schwerin 1877. — Qui quidem plurimas huius generis imagines et ex veteribus poetis et ex recentioribus petitas composuit et expedivit, sed ita tamen, imprimis ut ostenderet, quod discrimen inter horum et illorum dicendi cogitandique rationem intercederet[6]). Itaque quanquam Hense exempla collegit quam plurima, in tanta re sibi proposita tamen fieri non potuit, ut singula quaeque tam accurate proferret et enuclearet, ut de conformationum apud singulos usu non paulo uberius copiosiusque iam possit disseri. Quam ob rem quod equidem in Aeschylum, qui poeta propter fervidum ingenium atque imaginandi vigorem praeter ceteros dignus videtur esse, cuius conformationum usum diligentius examinemus, inquirere constitui, non acta acturus esse mihi videor.

Iam vero priusquam ad ipsam quaestionem instituendam accedamus, haud scio an pauca in universum praemonenda sint. Primum enim certa quaedam conformationum genera statuenda videntur, quae eo facilius statuemus, si nobiscum reputaverimus, quonam modo conformationes nasci soleant. Nam eas ex illa ingenii inventione proficisci[7]), qua etiam ea, quae a sensuum perceptione vel longissime remota sint, specie quadam definita induantur quis est, quem praetereat? Cum vero poetis nostris quidem temporibus pro sua cuique indole et in rebus inanimis et in notionibus mentis quasi vivis proferendis huic ingenii facultati frenos dare liceat, veteres poetae tragici certis quibusdam cancellis circumscripti fuisse videntur, quos diligentissime servarent necesse erat, ne eorum qui spectarent aures offenderent. Quod unde factum sit, facillime intellegas, si conformationem apud poetas Graecos artissime coniunctam fuisse consideres cum studio fabularum fingendarum, quod optime comprobavit Hense in libello, qui inscribitur: ueber personificierende adiectiva und epitheta bei griechischen dichtern, insbesondere bei Pindar, Aeschylus, Sophokles; Halberstad. 1855, ubi p. 2 sqq. haec fere explicat conformandi studium poetarum Graecorum cum ex eodem fonte fluxerit atque mythicae fictiones, tum ipsa conformatione, qua et ea, quae cerni tangique possint, mente praedita fingantur, et ea, quae a sensibus sevocata sint, ante oculos ponantur, saepissime notiones mythicas accuratius effingi atque explicari; atque mythicis veterum opinionibus

quemadmodum montes valles, nemora prata, fontes flumina Nymphis aliisve numinibus completa sint credita, sic conformatione permultis naturae rebus vitam ac mentem impertiri; mythicis autem opinionibus sicut notiones mentis tanquam dei corpore praediti incedant, ita conformationem etiam magis ad notiones describendas descendere, atque ita quidem, ut eas vel corpore conspicuaque specie indutas nobis proponat, vel leviter tantum formam adumbret. Itaque facile fieri posse, ut conformatio propter originem fontemque, e quo profluat, mythicis notionibus confundatur; sed cum hae cum religione veterum artissime cohaereant, illam poetarum propriam esse. Quapropter eas diligentissime esse disiungendas. Viam autem ad conformationem fingendam ea munire vocabula, quibus et notio quaedam mentis et numen divinum, vel quibus et res naturae propria et numen naturale significetur, velut *δίκη* et *Δίκη*, *αἰδώς* et *Αἰδώς*, *νύξ* et *Νύξ*, *ἥλιος* et *Ἥλιος*. Persaepe enim dubium esse, utrum hisce vocabulis a poetis deus nobis proponatur, an persona tantum poetica fingatur[8]).

Itaque negari non potest conformationem et fabularum fictionem vinculo tam arto inter se contineri, ut haec ab illa originem duxerit. Cum vero poetae tragici nisi fabulas e mythicis opinionibus depromptas non componerent, valde iis cavendum erat, ne in conformationibus, quibus mythica quaedam notio subesset, depingendis fines communibus totius populi opinionibus circumscriptos egrederentur neve aliis lineamentis numina confingerent atque in audientium mentibus infixa haererent.

Hoc igitur, quod adumbravimus, alterum conformationis genus statuendum est. Sed cum in huiusmodi imaginibus describendis veteres tragici certis quibusdam terminis cohibiti sint, in altero genere, quo imprimis rebus visu tactuque manifestis vel hominis vel animalis species et proprietates tribuuntur, etiam iis, quacunque quisque vellet licentia, imaginandi facultate uti licuit. Haud raro huius generis translationes ex animis hominum concitatis perturbatisque oriuntur, qui quo vehementiores sunt, eo facilius adducuntur, ut naturae rebus agendi sentiendique facultatem impertiant.

His duobus, quae proposuimus, conformationum generibus omnia fere exempla, quae inveniuntur apud Aeschylum, continentur, sive per similitudinis rationem sive per metonymiam sive per synecdochen explicari possunt.

Exempla me non ea solum, quae quisque primo obtutu facile perspiciat, sed quaecunque investigare potuerim, prolaturum vix est, quod moneam, praesertim cum in linguis mortuis, quae vocantur, perscrutandis difficillimum sit diiudicare, et utrum imago ab ipso

poeta inventa sit consciaque mente orationis ornandae causa addita, an ab alio scriptore adsumpta vel de cotidiana consuetudine ascita, et utrum integram translationis vim retinuerit, an usu iam attrita oblitterataque sit[9]). Nam quanquam imagines consulto ab ipso poeta nostro adhibitae multo maioris ponderis sunt quam eae, quae prorsus attenuatae exstinctaeque videntur atque in quibus etiam Aeschyli temporibus nulla iam inerat conformatio, tamen has quoque afferre ad Graecorum loquendi usum recte pernoscendum haud inutile videtur.

His in universum praemonitis iam ad materiam ipsam disponendam transeunti mihi visum est eam sequi rationem, quam et ipsa conformationum natura nobis offert et prima earum origo flagitare videtur, eam dico, ut semper ab homine profecti videamus, quomodo quae eius propria sunt, ad res inanimas et notiones mentis transducantur. Ita enim apud omnes gentes haud dubie conformationes oriri solent, ut homines primum solum corpus eiusve partes, deinde magis exculti atque expoliti ipsum quoque animum et mentem ad res vita carentes transferant.

Atque totam materiam in duas potissimum partes dividere e re esse videtur, ita ut altera parte eas componamus imagines, quae ab homine, altera, quae ab animali ductae sunt. Priorem illam partem in quattuor rursus capita distribuere placet, quorum primum eas complectatur translationes, quibus solum corpus humanum iis, quae sunt inanimata, tribuitur, alterum et tertium eas, quibus res sensu carentes humani corporis specie ita induuntur, ut iam ea, quae animi mentisque propria sunt, accedant; quartum denique caput eas continebit metaphoras, quibus et quae sunt et quae intelleguntur, mente animoque praedita effinguntur. Altera particula translationes ab animalibus petitas percensebimus, sive corpus eorum sive naturam moresque respexit poeta et in auxilium vocavit, res definitas infinitasve quo magis perspicuas redderet.

Pars I.

De translationibus ab homine ductis.

Caput A.

De translationibus, quibus iis, quae vita carent, hominis quasi species et figura tribuitur.

§ 1.

De conformationibus ab ipso corpore humano repetitis.

Sicut homines omnis fere cultus et humanitatis expertes, ut paulo ante dictum est, initio sic conformationes fingere solent, ut suum corpus per similitudinis rationem rebus naturae attribuant, ita nobis quoque ab hoc primo translationis genere initium capere visum est, atque ita quidem, ut primum in ea inquireremus exempla, quibus totum quasi hominis corpus rebus induitur, deinde eas imagines perlustraremus, quibus singulae eius partes figurate ponuntur[10]), tertio denique loco eas metaphoras excuteremus, quibus singulae corporis partes per synecdochen quasi sui iuris personae effinguntur.

Atque duo apud Aeschylum exstant exempla, quibus tanquam totum corpus ad ea, quae sunt inanimata, transfertur, alterum Ag. v. 692[11]): . . . *ἔπλευσε ζεφύρου γίγαντος αὔρᾳ*, i. e. Troiam Helena profecta est Zephyro flante Giganteo (i. e. immani, vehementi, magna vi praedito). Quam traditam scripturam mea quidem sententia rectissime Hermannus Dindorfius alii servarunt, quippe cum venti e Titanum sanguine nati[12]) numina crediti sint. Quapropter nihil videtur esse causae, cur Weilius et Keckius contra librorum auctoritatem contraque glossam Hesychii „*μεγάλου, ἰσχυροῦ, ὑπερφυοῦς*“ explicantis in voce *γίγαντος* offenderint. Quorum ille quidem tradita scriptura in textum recepta in adnotatione tantum *πιαντός* scribendum esse coniecit, ita ut Zephyro „elata vel laeta“ Helena appelletur, hic vero *πιπράντος* (i. e. flantis) scripsit, cum fieri non potuisset, ut poeta noster tam inepte et absurde vento, qui specie et forma careret, quem nemo cernere posset, epitheton daret, quod nisi ad immanem

corporis figuram ac vires non esset referendum[13]). Sed nescio an sine iusta causa vir doctus mutaverit vulgatam scripturam, quae et aptum praebere sensum et audaci Aeschyli ingenio prorsus digna videtur. Quid quod Graeci ventos, qui maximi momenti erant ad navigationem exercendam, cum originem et naturam non penitus perspicerent, inde ab antiquissimis temporibus ut deos colebant? Itaque cum opinionibus totius populi ut omnes dei ita venti humana specie induti conficti sint, quid mirum, si Aeschylus Zephyro, qui persaepe ventus erat vehemens et procellosus[14]), formam Gigantum immanitate et ferocitate insignium dedit? Contra *πιπράντος* illud, licet forma pro usitato *πιμπράντος* excusari possit, addidamentum paene frigidum mihi videtur. An veteres longius navi provehi poterant ventis silentibus?

Ut igitur huic, de quo egimus, loco mythica notio subest, ita alteri quoque exemplo, quo robur pulchra specie instructum videtur. Invenitur autem Choeph. v. 490: ... *εὔμορφον κράτος*. Cum Dindorfius quidem addubitet, num genuinum sit „*εὔμορφον*", iam Klausenius rectissime, ut equidem censeo, cum hoc loco Sophoclis O. R. v. 189: *εὐῶπα ἀλκάν* contulit. *Κράτος* enim quodammodo numen divinum habitum esse et Hesiodi Theog. v. 385 demonstrat et initium fabulae „Prometheus vinctus" quae inscribitur, confirmare videtur, ubi Vulcani quasi minister miserum illum Prometheum adiutrice Vi ad saxum revincit.

Iam ad eas translationes accedamus perquirendas, quibus ita conformatio efficitur, ut singulae corporis humani partes vel propter similitudinem rebus inanimis attribuantur, vel notionibus mentis, ut magis fiant perspicuae atque sub aspectum quasi veniant. Quemadmodum enim omnes fere poetae saepissime hominem significaturi unam corporis partem translate ponunt, sic Aeschylus quoque hoc metaphorarum genere usus est. Atque permultae eaeque pucherrimae huiusmodi conformationes apud eum occurrunt.

Ut a capite ordiamur, id ipsum semel metaphorice adhibetur hastae sive cuspidi ascriptum Pers. v. 148 sq.: *ἦ δορυκράνου λόγχης ἰσχὺς κεκράτηκεν*. Nam erravit certe scholiasta, quem Todt l. l. p. 44 sequitur, ad vocem *δορυκράνου* adnotans: *τῆς ἀπὸ ξύλου κρανείας*, quasi vero de ligno corneo, e quo hastae fieri solebant, *δορύκρανος* sit appellata *λόγχη*. Verum metrum nos docet non de voce *κράνεια*, sed de *κρᾶνον* (i. e. *κάρᾶνον*) cogitandum esse, ita ut hastae spiculum caput vocetur.

Iam vero videamus, quomodo singulae capitis partes ad ea, quae sunt inanimata, translatae sint. Atque a crinibus incipientibus perpulchra nobis offertur imago, qua fulmini cincinnus tribuitur Prom.

v. 1043 sq.: . . . ἐπ' ἐμοὶ ῥιπτέσθω μὲν Πυρὸς ἀμφήκης βόστρυχος; quae conformatio etsi nobis audacissima videtur, diligentissima tamen observatione fulminibus obliquis surrepta est. Nam re vera fulmina emicantia, quae discursibus tortis vibratisque deferuntur, cincinno non dissimilia sunt. — Breviter hoc loco commemoro Choeph. v. 32, ubi mythica, ut videtur, notione (cf. Sept. v. 45) timor capillos erigens fingitur: ὀρθόθριξ φόβος, cf. § 5. — A crinibus ut ad faciem descendamus, eam fortunae noster induit. Laeto tanquam vultu ea conquiescit Choeph. v. 969: τύχᾳ εὐπροσωποκοίτᾳ[15]). Sic enim cum Hermanno legendum esse existimo[16]). Utraque translatio quanquam haud dubie e mythica manavit opinione, in priore tamen exemplo conformatio recte cernitur, cum Αἰδώς dea apud Aeschylum non inveniatur.

Multo uberior copia obvia est earum imaginum, quibus singulae faciei partes iis, quae vita carent, impertiuntur. Atque frons exercitui datur Pers. v. 720: διπλοῦν μέτωπον ἦν δυοῖν στρατημάτοιν. Sed haec metaphora, qua Thucydides Xenophon alii quoque solutae orationis scriptores utuntur, quamque e lingua Francogallica etiam in nostram transiisse notissimum est („front"), nullam conformationis vim servasse, verum prorsus in cotidianam consuetudinem abiisse videtur. — Imagine audacissima illa quidem, sed pulcherrima Caucaso monti Aeschylus tempora ascribit Prom. v. 719 sqq.: πρὶν ἂν πρὸς αὐτὸν Καύκασον μόλῃς, ὀρῶν Ὕψιστον, ἔνθα ποταμὸς ἐκφυσᾷ μένος Κροτάφων ἀπ' αὐτῶν. Apparet eum hoc quoque loco opinionem vulgarem esse secutum, ex qua montes quasi Gigantes crediti Giganteo corpore praediti effingebantur[17]). — Aures ipsae figurate apud nostrum non adhibentur; sensus vero audiendi et ad res inanimas et ad notiones mentis transfertur hisce locis: Choeph. v. 722 sqq.: ὦ πότνια χθὼν καὶ πότνι' ἀκτὴ Χώματος, ἣ νῦν ἐπὶ ναυάρχῳ Σώματι κεῖσαι τῷ βασιλείῳ, Νῦν ἐπάκουσον . . . Sunt autem verba chori summa cum animi concitatione Terrae Agamemnonisque tumuli fidem implorantis, ut Orestem patris vindicem ad necandam matrem auxilio adiuvent. — Choeph. v. 399: κλῦτε δὲ Γᾶ χθονίων τε τιμαί.

Permultis locis et ea, quae cernuntur et ea, quae cerni non possunt, oculis exornantur, quippe qui maxime oris vultusque ingenium exprimant. Ut magnam huiusmodi translationum copiam in ordinem quendam redigamus, ab iis rebus incipiamus, quae in caelo versantur, deinde eas perquiramus, quae in terra exstant, sive natura sunt sive arte manuque hominum effectae, postremo ea perlustremus, quae non in conspectum cadunt. Ac primum inter res caelestes sol oculos quasi igneos habet fragm. 304, 4 sq.: ἐν δ' ἥλιος πυρωπὸς ἐκλάμψας χθονὶ Τήκει πετραίαν χιόνα. Praeterea huc pertinet fragm. 169: ἃς

οὔτε πέμφιξ ἡλίου προσδέρκεται (cf. Ag. v. 676). — Quibus metaphoris cum solem depingeret poeta, pervulgatam spectavit opinionem veterum, qui Solem deum putarent omnia scire, cum curru totum caelum pervehens omnia videret. Iam Homerus Solem ita descripsit Il. III, 277: Ἠέλιος θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς καὶ πάντ' ἐπακούεις . . ., quem imitati sunt cum alii poetae tum Aeschylus, qui in sole illustrando semper Solem deum respexit: fragm. 192, 5: ὁ παντόπτας Ἥλιος (cf. Prom. v. 91); Choeph. v. 986: ὁ πάντ' ἐποπτεύων τάδε Ἥλιος, nec unquam modum religione statutum transgressus est; cum nostrorum quidem temporum scriptores in hoc astro depingendo summa audacia utantur. — Audacior sane ea est metaphora, qua etiam ortum solis poeta oculis instruxit: πρὸς ἀντολὰς φλογῶπας ἡλιοστιβεῖς (Prom. v. 791). — Eadem nimirum qua in sole celebrando ratione noster in luna pingenda secutus est, utpote quam item deam esse religione opinionibusque confirmatam nemo nesciat. Quam ob rem ea quoque oculis praedita fingitur: fragm. 169: ἀστρωπὸν ὄμμα Λητῴας κόρης. — Prom. v. 797: οὔθ' ἡ νύκτερος μήνη ποτέ (intell. προσδέρκεται Φορκίδας).

Ut in rebus caelestibus vel potius aëriis commoremur, apparet e mythica Solis dei notione eas conformationes ortas esse, quibus rebus fulgentibus et splendentibus, velut fulmini, oculi dantur[18]) . . . πυρωπὸν ἐκ Διὸς μολεῖν Κεραυνόν (Prom. v. 667). — Cuius cum haud dissimilis sit translatio, qua ignis depingitur, locum huc spectantem subiungere mihi liceat: Prom. v. 253: φλογωπὸν πῦρ. — Aëri ventisque deinde facultas videndi datur duabus praeclarissimis imaginibus, quarum altera exstat Prom. v. 88 sqq., ubi Prometheus modo devinctus, quoniam ab omnibus desertus est, summo animi impetu atque perturbatione et alias res inanimas implorat et aëra ventosque, ut videant, quanta in mala ipse inciderit: ὦ δῖος αἰθὴρ καὶ ταχύπτεροι πνοαί, Ποταμῶν τε πηγαὶ ποντίων τε κυμάτων Ἀνήριθμον γέλασμα, παμμῆτόρ τε γῆ, Καὶ τὸν πανόπτην κύκλον ἡλίου καλῶ· Ἴδεσθέ μ' οἷα πρὸς θεῶν πάσχω θεός. Δέρχθηθ' κτλ., cuius consimilis est alter locus (Prom. v. 1191 sqq.), ubi idem tempestate maximo cum fragore tonitribusque caelo deiecta, terra intremiscente, dum a Iove ad praeceps datur, aëra invocat, ut ipsum aspiciat ac quantas iniurias acceperit testetur. Nihil enim iam habet aliud nisi aëra omnium communem, quo teste utatur: . . . ὦ πάντων Αἰθὴρ κοινὸν φάος εἱλίσσων, Ἐσορᾷς μ' ὡς ἔκδικα πάσχω.

Iam de caelo et rebus aëriis ad terram descendentes quod primum quidem tellurem ipsam quasi videntem invenimus (Prom. v. 90, loco paulo ante allato), nemini mirum videbitur, cum Tellurem deam eamque omnium rerum genetricem et matrem veteres habuisse nemo

ignoret. — Agrorum, quorum Theseus imperium obtinet, oculi appellantur pueri feminae matronae Eum. v. 1025 sqq.: *ὄμμα γὰρ πάσης χθονὸς Θησῇδος ἐξίκοιτ' ἂν εὐκλεὴς λόχος Παίδων, γυναικῶν, καὶ στόλος πρεσβυτίδων.* Sic equidem cum Hermanno, quem Dindorfius alii sequuntur, hunc locum lego, neque Weilii probo sententiam, cum lacunae signis post vocem *λόχος* positis statuat hic non civilem pompam intellegendam esse, sed furias vel Eumenides. Mihi enim non persuasit iis, quae ad hunc locum adnotavit. — Oculis deinde solis ardor plantas privat Eum. v. 940: *φλογμὸς ὀμματοστερὴς φυτῶν.* Qui vocis oculi usus et in lingua latina (Verg. Georg. 2, 73; Colum. 4, 24.) occurrit et a nostra non alienus est; vitis enim gemmas, ut exemplo utar, „augen“ vocamus. Neque fuit, cur Weilius in tradita scriptura offendens contra librorum auctoritatem verba mutaret.

Perpulchra translatione Troia celebratur fragm. 440: *πᾶσα γὰρ Τροία δέδορκεν Ἕκτορος τύχης διαί.* Contextus sententiarum qui fuerit quanquam plane ignoramus, tamen hisce verbis fortasse dicere voluit poeta cunctam Troiam tanta Hectoris caritate, tanto eius amore captam fuisse, ut Hectoris solum fortunae salutisque gratia fuisset vel vixisset. Etenim quia verbum *δέρκεσθαι* saepius legitur eo sensu adhibitum, ut significet solis lumen aspicere i. e. vivere[19]), quid tandem est, cur non hoc loco idem significare possit? Enimvero sic tradita verba aptam praebent sententiam et prorsus genuina videntur, cum terrae et urbes saepenumèro oculis praeditae quasi vivae effingantur[20]). Quae cum ita sint, equidem satis mirari non queo, quod nonnulli interpretes *δέδορκεν* illud in suspicionem vocarunt, quo e numero Dindorfius vel *δέδοικεν* vel cum Bernhardyo *δέδουπεν* scribendum putavit, praesertim cum tantum absit, ut de hoc fragmento certi quidquam statuere possimus, ut ne sciamus quidem, ad quamnam fabulam deperditam illud pertineat. — Sicut metaphorae, quibus poetae urbibus oculos ascribunt, non sunt inusitatae, ita singulis quoque domibus noster eos impertit. Exempla sunt haece: Choeph. v. 935 Orestes oculus domūs vocatur: *ὀφθαλμὸν οἴκων μὴ πανώλεθρον πεσεῖν.* — Simili modo eri praesentia domūs fingitur oculus Pers. v. 169: *ὄμμα γὰρ δόμων νομίζω δεσπότου παρουσίαν.* — Alia huiusmodi conformatio paulo uberius depicta Ag. v. 518 sqq. invenitur, ubi praeco ab Agamemnone domum praemissus prodit domicilium tectum sedes invocans, ut regem tam diu absentem benigne excipiant hunc in modum: *ἰὼ μέλαθρα βασιλέων, φίλαι στέγαι, Σεμνοί τε θᾶκοι, δαίμονές τ' ἀντήλιοι, Εἴ που πάλαι, φαιδροῖσι καὶ νῦν ὄμμασι*[21]) *Δέξασθε κόσμῳ βασιλέα πολλῷ χρόνῳ.* Sic enim cum Dindorfio legendum esse videtur neque ea, quae Keckius — quem Engerus secutus est — versu 520 deleto adnotavit (p. 294 sq.), mihi persua-

serunt, quibus assentiri possim. — Quod etiam naves quasi oculis exornantur vix quemquam offendat, quippe quae apud veteres, quoniam rebus maritimis deditissimi erant, tantum valuerint, ut tanquam personae visae sint[22]). Quam ob rem saepissime navium oculi memorantur. Apud Aeschylum caeruleos oculos eae habere videntur propter colorem caeruleum, quo illini solebant: *κυανώπιδες νᾶες* (Pers. v. 559; Suppl. v. 743). — Aliud huiusmodi exemplum, quod exstat Suppl. v. 716 sqq.: *καὶ πρῷρα πρόσθεν ὄμμασι βλέπουσ' ὁδόν, Οἴακος ἰθυντῆρος ὑστάτου νεὼς Ἄγαν καλῶς κλύουσα, τὼς ἂν οὐ φίλη . . .*, ex summo animi angore videtur esse explicandum, quo sollicitus Danaus pater timidissimis filiabus nuntiat se navem procorum maxime timendam vidisse magis magisque appropinquantem. Numquid igitur admirationis habet, quod oculis illam fingit prospicientem, praedas i. e. filias ut investiget, capiat, vi abducat? Perverse Tuchius l. l. p. 15 hunc locum in inconsequentiae exemplis, ut eius verbis utar, numerat, quasi idem fere sit atque Sept. v. 498: *φόβον βλέπων* vel, ut ille vult Sept. v. 103: *κτύπον δέδορκα κτλ.*

Hisce, quas proposuimus, conformationibus rebus tactu manifestis oculi attributi sunt. Restat iam, ut ea proferamus exempla, quibus poeta ea, quae a corporibus seducta sunt, oculis illustrat. Verecundo vultu pudor prospicit Prom. v. 134: *τὴν θεμερῶπιν αἰδώ.* — Ipsa vita oculis praedita fingitur, quorum acies lacrimis hebes facta sit Eum. v. 955: *δακρύων βίον ἀμβλωπόν.* Quae verba cum Papius et Dindorfius (vid. lex. s. h. v.) Wellauerum secuti „vitam lacrimis ita plenam, ut hominum oculi hebescant" interpretentur, sententiam illi quidem exprimunt, translationem vero, quae inest, prorsus exstinxerunt[23]). — Inter exempla, quae ad tempora pertinent, dies sole tanquam oculo usus apud Aeschylum non occurrit, cum Sophocles notissimo illo cantico (Antig. v. 100 sqq.) radium solis diei palpebram fingat: *ἀκτὶς ἀελίου . . . . ὦ χρυσέας ἁμέρας βλέφαρον.* Pervenusta autem imagine luna noctis vocatur oculus Sept. v. 389 sq.: *λαμπρὰ δὲ πανσέληνος ἐν μέσῳ σάκει, Πρέσβυστον ἄστρων, νυκτὸς ὀφθαλμός, πρέπει.* Similiter nox ingruens hunc in modum describitur Pers. v. 428: *ἕως κελαινῆς νυκτὸς ὄμμ' ἀφείλετο.* Quo cum loco Teuffelius comparat Eur. I. T. v. 110: *ὅταν δὲ νυκτὸς ὄμμα λυγαίας μόλῃ.* —

Eodem modo nonnullae, quas iamnunc prolaturus sum conformationes, explicandae videntur: Ag. v. 13: *εὐνὴν ὀνείροις οὐκ ἐπισκοπουμένην* (cf. Il. II, 8. — Od. XXIV, 12). Custos enim in Agamemnonis domo excubias agens queritur, quod per annum tot vigiliis defessus sit, ut somnia nunquam torum viserint. — Sine dubio praeterea numina intellegenda sunt hisce locis: Eum. v. 970: *στέργω δ' ὄμματα Πειθοῦς.* — Ag. v. 774: *Δίκα δὲ λάμπει μὲν ἐν δυσκάπνοις*

δώμασιν, τὸν δ' ἐναίσιμον τίει. Recte enim mea quidem sententia Hense (personificierende adiectiva etc. p. 8) monuit illud *λάμπει* ad oculos Iustitiae esse referendum[24]). — Choeph. v. 61: *ῥοπὴ δ' ἐπισκοπεῖ Δίκας ταχεῖα τοὺς μὲν ἐν φάει.* Optime certe Dindorfius, cum omnes fere editores minusculis *δίκας* scripserint, in editionibus Oxon. et Lips. 1869 editis maiusculis usus est; neque vero in editione Lips. 1873 edita alios secutus *δίκας* exhibere debebat. — Quocum loco comparari potest et Suppl. v. 359 sq.: *ἴδοιτο δῆτ' ἄνατον φυγὰν Ἱκεσία Θέμις Διὸς κλαρίου . . .*[25]), et Pers. v. 1006: *οἷον δέδορκεν Ἄτα.* — Mythicam rationem haec quoque audacissima imago spectare videtur, qua Eteocles choro respondet patris exsecrationem siccis oculis sibi instare, ut cum Polynice fratre depugnet: *φίλου γὰρ ἐχθρά μοι πατρὸς τάλαιν' ἀρὰ ξηροῖς ἀκλαύτοις ὄμμασιν προσιζάνει* (Sept. v. 695 sqq.). . . . Nam quanquam hoc in loco re vera poetica conformatio inest (cf. Choeph. v. 406), haud raro tamen et apud alios tragicos et apud Aeschylum *'Αρά* i. e. Dira invenitur. — Quacum conformationis audacia certant eae, quibus vaticinationi et commiserationi oculos noster dat: Ag. v. 1178 sq.: . . . *ὁ χρησμὸς οὐκέτ' ἐκ καλυμμάτων Ἔσται δεδορκώς* . . . (cf. § 2). — Suppl. v. 486: *οἶκτος εἰσιδὼν τάδε.* — Spem poeta caecam depingit Prom. v. 250: *τυφλὰς ἐν αὐτοῖς ἐλπίδας κατῴκισα*, quae quidem imago attenuata esse videtur, cum scriptores saepe voce *τυφλός* similiter atque *ἐπάργεμος* (cf. Choeph. v. 666: *ἐπαργέμους λόγους* i. e. verba suspensa et obscura) utantur pro obscuro, incerto, dubio. — Denique ipsi menti tanquam oculi impertiuntur Eum. v. 104: *φρὴν ὄμμασιν λαμπρύνεται.* — Choeph. v. 854: *οὔτοι φρέν' ἂν κλέψειεν ὠμματωμένην.*

Quoniam imagines oculos per translationem exhibentes protulimus, nunc ad eas metaphoras pervenimus, quibus Aeschylus hominis os vel linguam figurate posuit. Atque conformationis vis licet prorsus exstincta sit in iis exemplis, quibus ex similitudine flumini vel mari *στόμα*[26]) tribuitur, tamen non plane esse omittenda videntur. Nili igitur *στόμα* i. e. ostium commemoratur Prom. v. 847. — Similiter Pers. v. 876: *στόμωμα πόντου* i. e. Bosporus, ut explicat scholiasta: *οὗτος γὰρ στόμα πόντου λέγεται.* — Cf. Choeph. v. 806 (de ore speluncae). — Deinde obscurata ea quoque videtur metaphora, quae fragm. 107 exstat, ubi amphorae angustum os ascribitur: *στενόστομον*[27]) *τὸ τεῦχος.* — Certe vero conformationis vis servata est Pers. v. 415, ubi rostra ora quasi aenea habent: *χαλκοστόμοις ἐμβόλοις*[28]). — Porro nescio an huc etiam pertineat fragm. 248, ubi ulcus in Philoctetae pede serpentis morsu ortum, cum ad oris similitudinem promineat, sic describitur: *δεινὴν στομωτὸν ἔκφυσιν ποδός*[29]). — Denique ne quid omittam, verbo attigerim eas metaphoras, quibus

per adiectiva composita ad ea, quae a sensuum perceptione remota sunt, os vel lingua transfertur, ita tamen, ut sermo intellegatur. Plus minusve igitur quin omnes usu tritae sint, dubitari nequit: Prom. v. 661: *αἰολοστόμους χρησμούς*, quod Todt l. l. p. 20 interpretatur „vaticinationes varii oris i. e. ambigui sensus“. — Prom. v. 953: *σεμνόστομος μῦθος*, i. e. vox magniloqua (cf. Ag. v. 1399. Suppl. v. 948). — Suppl. v. 775: *εὐγλώσσῳ φρενί*. — Prom. v. 172: *μελιγλώσσοις πειθοῦς ἐποιδαῖσιν* [30]).

De maxilla (*γνάθος*) metaphorice adhibita videas § 9. — Restat adicienda una imago de capitis partibus deducta. Invenitur enim Ag. v. 306, ubi flammae barba tribuitur: *φλογὸς μέγαν πωγῶνα*, quo nihil fere audacius noster effinxerit (cf. Prom. v. 1044).

Iam ut ad eas translationes progrediamur, quae a ceteris humani corporis partibus desumptae sunt, ad tergum, quia collum et humeros poeta translate non usurpavit, nobis transeundum est. Tergum igitur idque excelsum Dodona habet Prom. v. 830: *τὴν αἰπύνωτον* [31]) *ἀμφὶ Δωδώνην*. — Simili modo mare quasi tergo praeditum est, per quod lux facis advolare Troiamque expugnatam esse nuntiare videtur Ag. v. 286: . . . *πόντον ὥστε νωτίσαι, Ἰσχὺς πορευτοῦ λαμπάδος*. Cui legenti haec non venit in mentem Homericum illud: *εὐρέα νῶτα θαλάσσης*? Sed dubium quidem potest esse, utrum poeta, ubi de maris tergo agit, ab homine duxerit translationem an ab animali, quia mare, prout res postulare videbatur, modo illius (Prom. v. 90) modo huius specie (Pers. v. 72) indutum est. (Vid. § 9.) — Semel denique rei infinitae quoque tergum Aeschylus impertivit Suppl. v. 90 sq., ubi exponitur id quod Iovis consilio atque nutu probatum et confirmatum sit, firmiter neque supinum cadere i. e. certissimum finem atque exitum habere: *πίπτει δ' ἀσφαλὲς οὐδ' ἐπὶ νώτῳ, Κορυφᾷ Διὸς εἰ κρανθῇ πρᾶγμα τέλειον*. Rectissime enim, ut equidem puto, Dindorfius Weilius alii scholiastae secuti sunt explicationem: *εἰ δέ τι ἀνυσθῇ τῷ νεύματι τοῦ Διός, ἀσφαλῶς πίπτει καὶ εὐσχημόνως. τὸ γὰρ ἐπὶ νώτῳ πίπτειν τοὺς παλαιστὰς ἄσχημόν ἐστιν*. Quid vero Hense l. l. p. 66 sibi velit, cum terrae tergum arbitretur hoc loco significari, prorsus non intellegitur.

Sequuntur metaphorae, licet plane evanuerint, de sinu humano ascitae: Prom. v. 837: *πρὸς μέγαν κόλπον Ῥέας* (cf. Pers. v. 486) de sinu maris dictum, qua loquendi ratione nos quoque utimur. — Etiam Minervae scutum (aegida) sinu praeditum invenimus Eum. v. 404: *κόλπον αἰγίδος*, — Cuius haud dissimilis imago est, qua clipeo cavus venter attribuitur Sept. v. 495 sq.: *ὄφεων δὲ πλεκτάναισι περίδρομον κύτος Προσηδάφισται κοιλογάστορος κύκλου*.

Translationes ab umbilico petitas priusquam hic adiungam, prae-

monendum videtur earum ne unam quidem conformationis vim servasse, sed iam inde ab Homeri temporibus eas metaphorice esse usurpatas. Breviter tamen exempla afferenda sunt. Oraculum Delphicum a nostro vel γᾶς ὀμφαλός vocatur (Eum. v. 40; v. 166), vel epitheto μεσόμφαλος illustratur (Choeph. v. 1036; Ag. v. 1056) i. e. in medio terrae umbilico situm.

Latera vel costae ad urnam transducuntur Choeph. v. 686: . . . λέβητος χαλκέου πλευρώματα, ad quem locum perapte Dindorfius contulit Soph. El. v. 54: τύπωμα χαλκόπλευρον.

Adnecto metaphoras, quae ab ulna vel bracchio atque a manu deductae apud Aeschylum nobis offeruntur. Ac vocem ἀγκάλη ille ad saxum transfert Prom. v. 1019: πετραία δ' ἀγκάλη σε βαστάσει. Sunt autem verba Mercurii praedicentis Prometheum, nisi ferociam contumaciamque deposuerit, una cum saxo, cuius quasi complexu teneatur, a Iove in profundum deiectum iri. — Etiam mari bracchia ascribuntur, ita tamen, ut sinus maritimi intellegendi sint Choeph. v. 586 sq.: πόντιαί τ' ἀγκάλαι κνωδάλων 'Ανταίων βροτοῖς Πλαθοῦσι. — Addendae sunt imagines de manu depromptae, quae quidem prorsus oblitteratae videntur. Atque nisi rebus infinitis poeta eam non tribuit, tribuit precibus et planctui Sept. v. 172 sq.: κλύετε πανδίκως χειροτόνους λιτάς (preces manus quasi protendentes). — Choeph. v. 23: ὀξύχειρι σὺν κόπῳ[32]) (planctus celeribus manibus praeditus i. e. celeri manuum motu editus).

Iam ut videamus, quomodo genua et pedes metaphorico sensu adhibita sint, venustissima conformatione Asia extollitur, ut quae summo luctu atque maerore affecta propter tot Persarum exitium in genua quasi procumbat Pers. v. 929 sq.: 'Ασία δὲ χθὼν . . . Αἰνῶς αἰνῶς ἐπὶ γόνυ κέκλιται[33]). — Praeclara metaphora Clytaemnestra Agamemnonem vocat ὑψηλῆς στέγης Στῦλον ποδήρη (Ag. v. 898), quod perabsurde Papius per cavam columnam explicat (vid. lex.), nusquam enim vocem ποδήρης (compositum e πούς et ἄρω, ἀραρίσκω) hac significatione adhiberi posse luce clarius est. Minus accurate me quidem iudice etiam Dindorfius Wellauerum secutus „ad imum pertingens“ interpretatur. Verumenimvero columna intellegenda est ita in terra defixa, ut tanquam firmis stet pedibus. — Nonnullae praeterea apud nostrum occurrunt translationes vocis ποδώκης, quae etsi attenuatae sunt, ita ut compositum pro simplici ὠκύς positum sit, insigne tamen specimen sublimis Aeschyli dictionis praebent: Choeph. v. 576: ποδώκει περιβαλὼν χαλκεύματι, quod scholiasta explicat: τῷ ταχεῖ ξίφει, addit autem: ὡς ἐπὶ ἐμψύχου εἶπεν (cf. Sept. v. 623). — Etiam ea, quae cogitationi tantum, non sensui subiecta sunt, velut τρόπος et κακόν, voce ποδώκης quasi vita induuntur fragm. 258:

οὐ χρὴ ποδώκη τὸν τρόπον λίαν φορεῖν. — Fragm. 283: τό τοι κακὸν ποδῶκες ἔρχεται βροτοῖς Καὶ τἀμπλάκημα τῷ περῶντι τὴν θέμιν[34]). — Viam vero ad huiusmodi conformationum rationem perspiciendam eae mihi videntur monstrare metaphorae, quibus iis, quae simul et notionem mentis et numen divinum significant, sicut δίκη, ἀρά, pedes dantur. Veluti enim dei vel numina pedibus incedentes[35]) finguntur, sic nemo ea in re offendere debet, quod notionibus eorum similia exprimentibus, etsi numina non sunt credita, perinde atque illis ipsis pedes dantur. Itaque illud ποδῶκες κακόν mythica quadam opinione explicari potest e Sept. v. 791: καμψίπους Ἐρινύς i. e. Furia currendo ac persequendo pedes inflectens. Etenim quin καμψίπους idem fere sit atque τανύδρομος, quod Eum. v. 377, vel Sophocleum ταχεῖαι, quod Ai. v. 843 exstat de Furiis usurpatum, mea quidem sententia vix dubitari potest. Quapropter cum Hermannus Dindorfius alii sic, ut diximus, interpretentur, falso Wellauerus Papius Passowius (vid. lex. s. h. v.) scholiastae explicationem secuti eo sensu accipiunt, quasi sit hominum genua flectens atque ut labantur efficiens. Quod quidem luculentissime mihi refelli videtur Schuetzii adnotatione: „aliud est γόνυ κάμπτειν, quod significat requiescere, aliud πόδας κάμπτειν, quod est ambulare, ire, ideoque hoc loco καμψίπους est pedes mobilis.“

Quoniam metaphoras, quibus singulae corporis humani partes rebus definitis infinitisque tribuuntur, protulimus, reliquum est, ut eas persequamur imagines, quibus aut per synecdochen ad hominis membra vel partes ea transducuntur, quae de toto eodem homine proprie valent, aut quibus singulae partes ita quasi per se ponuntur, ut sui iuris esse personae videantur. Cuius rationis figurae cum apud omnes fere scriptores usitatissimae sint, quam brevissime, quae Aeschylus praebet, exempla proponam. Clytaemnestra igitur Agamemnonem Troia redeuntem salutat hisce: νῦν δέ μοι, φίλον κάρα, Ἔκβαιν' ἀπήνης τῆσδε (Ag. v. 905 sq.). — Simili modo Electra pereleganter Orestem, postquam agnovit, alloquitur: ὦ τερπνὸν ὄμμα τέσσαρας μοίρας ἔχον Ἐμοί· προσαυδᾶν δ' ἔστ' ἀναγκαίως ἔχον Πατέρα τε καὶ τὸ μητρὸς ἐς σέ μοι ῥέπει Στέργηθρον (Choeph. v. 238 sqq.). Velut hic voce ὄμμα ita illic voce κάρα carissimum et dilectissimum quidque significatur (cf. p. 12). — Eteocles adeo se re publica gubernanda occupatum esse dicit, ut ne somnum quidem capere sibi liceat. Sept. v. 3: βλέφαρα μὴ κοιμῶν ὕπνῳ.; cf. Ag. v. 889: ἐν ὀψικοίτοις δ' ὄμμασι βλάβας ἔχω. — Oculi sagittas quasi proiciunt Suppl. v. 1003 sqq.: καὶ παρθένων χλιδαῖσιν εὐμόρφοις ἔπι Πᾶς τις παρελθὼν ὄμματος θελκτήριον Τόξευμ' ἔπεμψεν, ἱμέρου νικώμενος.; quocum loco convenit Ag. v. 742: μαλθακὸν ὀμμάτων

βέλος (cf. ibid. v. 240). — Quasi sui iuris praeterea videtur esse oculus non ebrietate gravis, cum velut urinator in mare profundum tanquam se mergat Suppl. v. 407 sqq.: δεῖ τοι βαθείας φροντίδος σωτηρίου, Δίκην κολυμβητῆρος, ἐς βυθὸν μολεῖν Δεδορκὸς ὄμμα, μηδ' ἄγαν ᾠνωμένον. — Ad os ut transeamus, audacissime lingua Clytaemnestrae in Agamemnonem blandae animo sereno praedita fingitur Ag. v. 1228: γλῶσσα ... φαιδρόνους. At cur ipsam vocem φαιδρόνους absurdam esse Keckius dicat, equidem non intellego. Omnino ille huius loci scripturam libris firmatam, licet aliqua ex parte vitiosa sit, quanquam sagacissime, audacius tamen mutavit, quam ut facere possim cum viro docto (cf. edit. p. 402 sqq.). — Lingua deinde sagittaria est Suppl. v. 446: γλῶσσα τοξεύσασα μὴ τὰ καίρια. — Ac vera index ea appellatur animi superbia inflati Sept. v. 438 sq.: τῶν τοι ματαίων ἀνδράσιν φρονημάτων Ἡ γλῶσσ' ἀληθὴς γίγνεται κατήγορος. — Denique ex capitis partibus barba prima translatione certe admodum attrita eatenus quasi vita induitur, ut per genas progrediens vel potius prorepens effingatur Sept. v. 534: στείχει δ' ἴουλος ἄρτι διὰ παρηίδων.

Manus imperium populi tenet Suppl. v. 604: δήμου κρατοῦσα χείρ, ubi de eo genere suffragii sermo est, quod χειροτονίαν Graeci vocabant. Cf. Choeph. v. 104: τὸν πρὸς ἄλλης δεσποτούμενον χερός. — Etiam notio ulciscendi ad manum translata est Ag. v. 112: χερὶ πράκτορι. Cuius haud dissimili conformandi ratione noster usus est Ag. v. 1405 sq.: νεκρὸς δέ, τῆσδε δεξιᾶς χερὸς Ἔργον, δικαίας τέκτονος, ubi Clytaemnestra manum suam, qua Agamemnonem necaverit, iustam necis effectricem praedicat. — Pervenuste manibus facultas iubendi datur fragm. 178, 5: ἡβῶσα χεὶρ ἐφίετο, vel eae quasi loquentes inducuntur Ag. v. 1061: σὺ δ' ἀντὶ φωνῆς φράζε καρβάνῳ χερί[36]). Quod vero ad varias huius loci interpretationes attinet, haud praetermittenda sunt, quae Keckius ad h. l. p. 370 sq. adnotavit. — Denique manibus videndi sensus impertitur Sept. v. 554: χεὶρ δ' ὁρᾷ[37]) τὸ δράσιμον („de gestu manus minacis", ut Dindorfius explicat).

Aegrotum pedem, a quo se liberari vult Philoctetes, hunc in modum alloquitur fragm. 244: ὦ πούς, ἀφήσω σε. — Exquisita imagine Clytaemnestra Agamemnonis pedem Troiae vastatorem appellat Ag. v. 906 sq.: μὴ χαμαὶ τιθεὶς Τὸν σὸν πόδ', ὦναξ, Ἰλίου πορθήτορα. — Plane insueta atque insolens auribus nostris accidit translatio, qua pes ad oculum transducitur Sept. v. 623: ποδῶκες ὄμμα[38]), siquidem Aeschyleum est.

Etiam cor et sanguis illustrantur huiusce generis imaginibus. Leviter quidem tango Suppl. v. 785, locum adeo corruptum, ut alii

editores aliter eum exhibeant. Id tamen, si traditam scripturam sequimur, constare videtur voce *κελαινόχρως* cor depingi. Sanare vero hunc locum iis, quibus nunc utimur praesidiis, vix quisquam poterit. Cor deinde, quod sive timore perculsum palpitat sive iracundia ardens, saltans fingitur Choeph. v. 167: *ὀρχεῖται δὲ καρδία φόβῳ.*; eiusdem f. v. 1024 sq.: *πρὸς δὲ καρδίᾳ φόβος Ἄιδειν ἕτοιμος ἠδ' ὑπορχεῖσθαι κότῳ.* — Atque sanguis caede Clytaemnestrae effusus obdormit, postquam Orestes expiatus est Eum. v. 280: *βρίζει γὰρ αἷμα.*

Extremum est, ut ea exempla excutiamus, quibus cadaver hominis ad vitam quasi revocatur. Aegistho occiso Orestes vitam tanquam reddit, cum Clytaemnestrae matri, quam interfecturus est, acerbissime dicat ipsam cum amatore, quem iam percusserit, esse dormituram Choeph. v. 906: *τούτῳ θανοῦσα συγκάθευδε.* — Ag. v. 1446 caesa Cassandra amatrix (*φιλήτωρ*) vocatur Agamemnonis interfecti. — Similiter sese habent hi loci: Eum. v. 767 sqq. (de Oreste): *αὐτοὶ γὰρ ἡμεῖς ὄντες ἐν τάφοις τότε Τοῖς τἀμὰ παρβαίνουσι νῦν ὁρκώματα Ἀμηχάνοισι πράξομεν δυσπραξίαις κτλ.*, nisi hi versus cum Dindorfio et Weilio ab Aeschylo abiudicandi sunt. — Choeph. v. 355 sqq.: *φίλος φίλοισι τοῖς ἐκεῖ καλῶς θανοῦσι Κατὰ χθονὸς ἐμπρέπων ἀνάκτωρ, Πρόσπολός τε τῶν μεγίστων χθονίων ἐκεῖ τυράννων* (de Agamemnone). — Choeph. v. 376 sq.: *τῶν μὲν ἀρωγοὶ κατὰ γῆς ἤδη* (intell. *ἱκνοῦνται*) ... — Cf. Pers. v. 319; Choeph. v. 684 sq.; Sept. v. 818, etsi Dindorfius Aeschyli esse haec verba negat; denique ibid. v. 960 sqq., quibus Antigone et Ismene fratres occisos alloquuntur.

Altera iam § eas exsequemur conformationes, quibus concreta et abstracta, quae vocant grammatici, ita magis perspicua fiunt ac tanquam personae inducuntur, ut iis hominum vestis domicilium instrumenta, denique res ad vitam humanam usumque spectantes impertiantur.

§ 2.

De conformationibus, quibus ea, quae sunt inanimata, ea ratione quasi corpore humano induuntur, ut iis res arte confectae usuique hominum accommodatae ascribuntur.

Apud Aeschylum huc pertinent haec fere vocabula: *χλαῖνα, ποικιλείμων, μελαγχίτων, μελανείμων, κάλυμμα; κάτοπτρον; δόμος, μέλαθρον, βωμός, πυθμήν, θρόνος; ἄρουρα, ζυγὸν, λέπαδνον, κέντρον, λευκόπωλος, μελάνιππος, ἅρμα; δίκτυον, ἕρκος, ἄγρευμα, ἀρκύστατον; τόξευμα, βέλος, ὅπλα, τόξον, ἀσπίστωρ, μελάναιγις, φασγανουργός; οἴαξ; δέλτοι, θέσμιον; κύβος.*

Primum igitur translationes vestem spectantes expediamus. Ami-

culo vel involucro ipsa terra instructa est, qua mortuos tegat Ag. v. 872: *χθονὸς τρίμοιρον χλαῖναν λαβών*[39]) (sc. Agamemnon). Quibus verbis, ut etiam antecedentia respiciamus, haec fere subesse videtur sententia: si Agamemnon toties quoties fama ferebat periisset, tanquam alter Geryon ter sepultus esset. Nam versum 871: *πολλὴν ἄνωθεν, τὴν κάτω γὰρ οὐ λέγω*, ab Weilio, quem secutus est Engerus, deletum minime doleo; certe suo iure fecit; ceterum totius loci sensum me iudice optime omnium Hermannus assecutus est. — Varia veste noctem poeta ornavit mythicam scilicet opinionem respiciens Prom. v. 24: *ποικιλείμων νύξ*[40]). Scholiasta cum recte quidem vocem *ποικιλείμων* ad caelum referat innumeris stellis distinctum et exornatum, falso tamen e *ποικίλος* et *λειμών* compositum esse statuit adnotans: *ποικιλείμων ἡ ὡς λειμὼν τοῖς ἄστροις ποικιλλομένη*. — Uti audacia exsultat, ita pulcherrima est imago, qua mens maerore metuque confecta pulla quasi veste amicta est Pers. v. 114 sq.: *ταῦτά μοι μελαγχίτων Φρὴν ἀμύσσεται φόβῳ*. Sic Hermannus Dindorfius Teuffelius alii, neque quidquam ad imaginem perspiciendam interest coniecturas ad hunc locum prolatas percensere, quia fere omnes, ni fallor, omnes certe, qui textum, non poetam corrigere volebant, *μελαγχίτων* illud retinuerunt. — Nec minus audax metaphora obvia est Eum. v. 375, ubi Furiarum, quas nigro vestimento indutas noster finxit, invasionem per metonymiam atra veste induit hisce: *ἁμετέροις ἐφόδοις μελανείμοσιν*. — Elegantissima conformatione vaticinium vel oraculum effertur, cum id ipsum novae nuptae instar pudice quasi ex velamine prospiciens videamus Ag. v. 1178 sq.: *καὶ μὴν ὁ χρησμὸς οὐκέτ' ἐκ καλυμμάτων Ἔσται δεδορκὼς νεογάμου νύμφης δίκην*. Quae imago eo magis nos delectat et in admirationem abripit, quia caret gravitate illa, qua Aeschylus uti solet ac propius ad Sophocleum illud accedit dicendi genus urbanum, quo summa voluptate afficiuntur audientium animi. — Hoc loco subiungere mihi liceat translationem voce *κάτοπτρον* formatam, nam quanquam speculum non ad ipsam vestem pertinet, tamen quodammodo ad corporis cultum curamque spectat; exstat autem fragm. 288, ubi vinum animi speculum vocatur: *κάτοπτρον εἴδους χαλκός ἐστ', οἶνος δὲ νοῦ* (cf. Ag. v. 839).

Age porro consideremus, quomodo domus eiusve partes porta ara sedes vel solium abstractis[41]) dentur. Ac domicilium iustitiae commemoratur Eum. v. 515: *ἐπεὶ πίτνει δόμος δίκας*. Cf. Ag. v. 770: *μελαίνας μελάθροισιν Ἄτας*. — Saepenumero Orci portae inveniuntur et apud alios poetas et apud nostrum Ag. v. 1291: *Ἅιδου πύλας*. Hos locos e mythica opinione explicandos esse neminem fugerit. — Quemadmodum dii, ita notiones quoque eorum similes, si non in

numerum deorum relatae sunt, at certe aras habere vel in solio quasi sedere atque regnare videntur. Utriusque generis exempla apud nostrum exstant haece: Ag. v. 382: *μέγαν Δίκας βωμόν.* — Choeph. v. 648: *Δίκης ἐρείδεται πυθμήν.* — Eum. v. 539 sq.: *βωμὸν αἴδεσαι Δίκας, μηδέ νιν κέρδος ἰδὼν ἀθέῳ ποδὶ λὰξ ἀτίσῃς.* — Qua vero causa ductus Dindorfius modo maiusculis, modo minusculis in scribendo usus tum *δίκας*, tum *Δίκας* in variis Aeschyli editionibus et lex. Aesch. exhibuerit, non satis intellegitur. — Huc etiam referendum est praeclarissimum illud fragm. 156, quo mors tam inexorabilis in homines describitur, ut etiam ara careat ac sacris mitigari non possit: *μόνος θεῶν γὰρ Θάνατος οὐ δώρων ἐρᾷ, Οὔτ' ἄν τι θύων οὔτ' ἐπισπένδων ἄνοις, Οὐ βωμός ἐστιν οὐδὲ παιωνίζεται. Μόνου δὲ Πειθὼ δαιμόνων ἀποστατεῖ.* — Simili ratione pudori solium ascribitur Sept. v. 409: *τὸν αἰσχύνης θρόνον τιμῶντα.*; quin etiam ipsi menti Ag. v. 982 sq.: *θάρσος εὐπιθὲς ἵζει Φρενὸς φίλον θρόνον.* Keckius num recte hanc verborum scripturam commutaverit, diiudicare supersedeo, cum ad id, quod nobis propositum est, nihil attineat. Nam ille quoque mentis solium, de quo agitur, retinuit.

Iam vero nonnullae conformationes mihi proferendae sunt, quas poeta ab agricultura ascivisse videtur. Arvum enim *ἄτη* habet, quod mortem quasi fructum fert Sept. v. 601: *ἄτης ἄρουρα θάνατον ἐκκαρπίζεται.* Sed dubium est, num versus ille a plerisque editoribus aut uncis inclusus aut plane eiectus Aeschylo vindicandus sit, quanquam Weilius[42]) eum retinuit ac defendit. — Deinde et iugum iumentis impositum et stimulus ad boves incitandos idoneus et equi et currus vehiculave Aeschylo apta visa sunt, quae ita rebus inanimis notionibusque mentis attribueret, ut eae tanquam corpore humano indutae ante oculos ponerentur. Sic Persae servitutis iugum Graeciae velut servae iniungentes confinguntur Pers. v. 49 sq.: *στεῦται δ' ἱεροῦ Τμώλου πελάται ζυγὸν ἀμφιβαλεῖν δούλιον Ἑλλάδι.* Cf. Sept. v. 75, v. 471, v. 791; Ag. v. 953; Soph. Ai. v. 944: *δουλείας ζυγά.* — Praeterea iugum imponunt et robur Pers. v. 594: *ἐλύθη ζυγὸν ἀλκᾶς*, et necessitas Ag. v. 218: *ἐπεὶ δ' ἀνάγκας ἔδυ λέπαδνον*, quibus locis quid addam non habeo. — Stimulus, quo veteres iumenta impellere solebant, ad rabiem transfertur fragm. 456, si Hermannum sequimur, cui quin Aeschyli sit, vix dubium videtur, cum apud Dindorfium omnino non reperiatur. Verba haec sunt: *οὕτως πέπονθα καί με συμφορᾶς ἀεὶ Βαθεῖα κηλὶς ἐκ βυθῶν ἀναστρέφει Λύσσης πικροῖς κέντροισιν ἠρεθισμένον.* Cf. fragm. 165: *κέντημα λύσσης*[43]). — Stimulo quasi suscitat vituperatio Furias somno oppressas Eum. v. 155 sqq.: *ἐμοὶ δ' ὄνειδος ἐξ ὀνειράτων μολὸν Ἔτυψεν δίκαν διφρηλάτου Μεσολαβεῖ κέντρῳ Ὑπὸ φρένας, ὑπὸ λοβόν.* — Etiam curru et equis

concreta abstractaque utuntur. Ac velut ad diei currum albos equos esse iunctos veteres credebant (Pers. v. 386: *λευκόπωλος ἡμέρα πᾶσαν κατέσχε γαῖαν*), ita nox vehiculo caliginoso vel nigris equis instructo provehitur Choeph. v. 660: *νυκτὸς ἅρμ' ἐπείγεται σκοτεινόν.*; fragm. 66: *εἰς μελανίππου Προφυγὼν ἱερᾶς νυκτὸς ἀμολγόν.* Aeschylum in his imaginibus effingendis opinionem religionemque vulgarem secutum esse non est, cur pluribus exsequar. — Denique calamitatibus currus est, quem Orestes patre orbatus quasi vehere cogitur pulli equini instar Choeph. v. 795 sq.: *ἴσθι δ' ἀνδρὸς φίλον πῶλον εὖνιν ζυγέντ' ἐν ἅρμασιν Πημάτων κτλ.* Pulcherrime poeta ab initio usque ad finem tenorem translationis servavit (*ἐνέμεινε τῇ μεταφορᾷ* schol.).

Res rusticas diligentissime observatas Aeschylum persaepe instigasse, a quibus imagines repeteret, ut ex metaphoris allatis iam patet, ita et venando et bellando et navigando valde delectatus esse videtur, quod et aliis exemplis confirmare posse mihi videor et hisce locis, quibus instrumenta ad has res exercendas necessaria ita ad concreta et abstracta transducuntur, ut iis velut hominibus usui esse videantur. Ac primum sublimi translatione noctem aspicere nobis videmur Troiae tanquam rete spissum inicientem itāque captam tenentem, ut nemo servitutem effugere possit Ag. v. 355 sqq.: *ὦ Ζεῦ βασιλεῦ καὶ νὺξ φιλία Μεγάλων κόσμων κτεάτειρα, Ἥτ' ἐπὶ Τροίας πύργοις ἔβαλες Στεγανὸν δίκτυον, ὡς μήτε μέγαν Μήτ' οὖν νεαρῶν τιν' ὑπερτελέσαι Μέγα δουλείας*[44]) *Γάγγαμον ἄτης παναλώτου.* Extremis verbis ut servitus quasi retibus suis omnes capit, qui fortasse necem vitarunt, ita *ἄτη* infinitis retibus utitur Prom. v. 1078: *ἀπέραντον δίκτυον ἄτης* cf. Pers. v. 97; similiter Iustitia Ag. v. 1611: *ἰδόντα τοῦτον τῆς Δίκης ἐν ἕρκεσιν*[45]). — Fati quasi retibus Cassandra capta est Ag. v. 1048: *ἐντὸς δ' ἂν οὖσα μορσίμων ἀγρευμάτων.* — Calamitates denique plagas pandunt vel laqueos ponunt, e quibus nemo aufugere possit Ag. v. 1374 sqq.: *πῶς γάρ τις . . . πημονῆς ἀρκύστατ' ἂν Φάρξειεν, ὕψος κρεῖσσον ἐκπηδήματος;* Omnia haec exempla plus minus in mythicis versari notionibus satis superque elucet. Utrum vero poeta, cum retia adhibeat translate posita, de venatione an de piscatione cogitaverit, singulis locis vix discerni posse arbitror, cum non modo ad pisces, verum etiam ad feras capiendas veteres retibus vel laqueis usi sint.

Ut ad arma veniamus, prima iam § vidimus, quomodo oculi et lingua quasi sagittas mittant itāque tanquam venatores nobis proponantur. — Strictim deinde tela turbinis attigerim Prom. v. 371: *θερμοῖς ἀπλάτου βέλεσι πυρπνόου ζάλης.* — Pulcherrimae conformationes oriuntur, cum poeta numina notionesve eorum similes eo magis dilucidas reddat, quod arma iis tribuit. Nigra igitur aegide Furiae in-

structae sunt Sept. v. 699: μελάναιγις . . . Ἐρινύς. Sic enim cum scholiasta, qui „μέλαιναν αἰγίδα φοροῦσα“ adnotat et Papio et Passowio probante, hunc locum interpretor, cum Dindorfius minus accurate, ut mihi quidem videtur, vertat „quae nigram pellem caprinam gestat“, quasi de vestitu cogitandum sit. — Per metonymiam, ita ut res effecta cum causa efficiente commutetur, explicandum est quod legitur Sept. v. 315: ῥίψοπλον ἄταν.; sunt enim milites fugati ac metu perterriti, qui arma abiciunt. Cf. Ag. v. 402 sq.: ἀσπίστορας κλόνους λογχίμους τε. — Tela amori vel cupiditati ascribuntur Prom. v. 649: ἱμέρου βέλει. — Translatione paulo uberiore exsecratio illustratur, quae sagittis suis certo ictu quaecunque velit ferire ac percutere possit Choeph. v. 692 sqq.: ὦ δυσπάλαιστε τῶνδε δωμάτων ἀρά, Ὡς πόλλ' ἐπωπᾷς κἀκποδὼν εὖ κείμενα, Τόξοις πρόσωθεν εὐσκόποις χειρουμένη, Φίλων ἀποψιλοῖς με τὴν παναθλίαν. — Parca denique ipsa gladium sibi parat, quo Agamemnonis necem persequatur Choeph. v. 647: προχαλκεύει δ' Αἶσα φασγανουργός.

Adiungo metaphoras a navigatione ductas. Gubernaculum quasi regit Fortuna Ag. v. 664: Τύχη δὲ σωτὴρ ναυστολοῦσ'[46]) ἐφέζετο. Etenim cum mea quidem sententia de Τύχη dea cogitandum sit, equidem cum Hermanno van Heusdio Keckio Engero aliis facio maiusculis scribentibus, cum Dindorfius excepta lex. Aesch. scriptura minusculis τύχη exhibeat. — Gubernaculum praeterea necessitati dat poeta Prom. v. 515: τίς οὖν ἀνάγκης ἐστὶν οἰακοστρόφος;

A rebus publicis forensibusque ad occupationes domesticas redeunti mihi Aeschylus videtur iis minus quam Sophocles allectus fuisse, a quibus imagines depromeret. Tamen hae tres afferri possunt, quibus menti et iustitiae quasi tabulae impertiuntur, in quas quidquid cupiunt referant: Eum. v. 275: δελτογράφῳ δὲ πάντ' ἐπωπᾷ φρενί. — Prom. v. 788 sq.: σοὶ πρῶτον, Ἰοῖ, πολύδονον πλάνην φράσω, Ἣν ἐγγράφου σὺ μνήμοσιν δέλτοις φρενῶν. — Suppl. v. 708 sq.: τρίτον τόδ' ἐν θεσμίοις Δίκας γέγραπται μεγιστοτίμου[47]).

Restat iam una huius generis translatio de alea sumpta Ag. v. 33: τρὶς ἓξ βαλούσης τῆσδέ μοι φρυκτωρίας. Sunt autem verba custodis in Agamemnonis tecto vigilias agentis, qui summo gaudio affectus est, propterea quod facis accensio, qua Troiam captam esse certior factus sit, tanquam Venerem sibi iecerit. Qua in imagine non offendes, si tecum reputaveris haec custodis verba cotidianum sapere sermonem. Et apud veteres tam usitatus erat ludus talarius (vid. fragm. 132), ut etiam dii tesseris ludentes fingantur, ad quod spectat et proverbium illud, quod scholiasta ad h. l. adnotat: „ἀεὶ γὰρ εὖ πίπτουσιν οἱ Διὸς κύβοι.“, et Sept. v. 414: ἔργον δ' ἐν κύβοις Ἄρης κρινεῖ.

Sequentibus §§ materiam ita tractare e re esse videtur, ut eas translationes componamus, quibuscunque ea, quae sunt inanimata, quasi viva magis magisque illustrantur ac sub aspectum paene subiciuntur. Quam ob rem iam hominem inde a cunabulis per totum vitae spatium tanquam prosequentes videamus, quomodo singuli aetatis humanae gradus, hominum necessitudines rationes, corporis vitia debilitates, motus actiones, ingenii facultates occupationes, animi affectus permotiones ad res inanimas et notiones mentis translata sint.

§ 3.

De conformationibus a singulis humanae aetatis gradibus arcessitis.

Haud ita multae huiusmodi imagines apud Aeschylum occurrunt. Ut ab iis, quas de ortu ille deprompsit, proficiscamur, e terra omnes res progignuntur Choeph. v. 127: *καὶ γαῖαν αὐτήν, ἣ τὰ πάντα τίκτεται.* Cf. fragm. 41, 4. — Quae translationes aeque ex mythica Graecorum opinione fluxerunt atque ea, quae Suppl. v. 674 exstat metaphora: *τίκτεσθαι δὲ φόρους*[48]) *γᾶς Ἄλλους εὐχόμεθ' ἀεί.* Dicitur autem de frugibus, quae a terra procreantur. — Ex igne freni quasi sunt nati Sept. v. 207: *πυριγενετᾶν*[49]) *χαλινῶν.* Haec vulgata scriptura retinenda mihi videtur. Conformatio enim Aeschyli ingenio sane dignissima! Atque nescio an Dindorfius nulla re coactus ex Hesychii glossa „*πυριβρεμετᾶν*" in textum receperit. — Lux diurna e nocte nascitur Ag. v. 279: *τῆς νῦν τεκούσης φῶς τόδ' εὐφρόνης λέγω.* — De Suppl. v. 770, ubi e nocte nautis quasi dolores gignuntur, videas § 8. — Deinde flendo et lamentando gemitus etiam aegrius ferendus paritur Sept. v. 656 sq.: *ἀλλ' οὔτε κλαίειν οὔτ' ὀδύρεσθαι πρέπει, Μὴ καὶ τεκνωθῇ δυσφορώτερος γόος.* — Pavor ab audacia quasi in lucem editur Suppl. v. 498: *φύλαξαι μὴ θράσος τέκῃ φόβον.* Cf. Ag. v. 751 sqq.: *λόγος Τέτυκται, μέγαν τελεσθέντα φωτὸς ὄλβον Τεκνοῦσθαι μηδ' ἄπαιδα θνήσκειν,* i. e. e nimia prosperitate hominibus calamitates nasci solent. — Ibid. v. 757 sqq.: *τὸ δυσσεβὲς γὰρ ἔργον Μετὰ μὲν πλείονα τίκτει, σφετέρᾳ δ' εἰκότα γέννᾳ.* — V. 763 sqq.: *φιλεῖ δὲ τίκτειν ὕβρις μὲν παλαιὰ νεάζουσαν ἐν κακοῖς βροτῶν ὕβριν, Τότ' ἢ τόθ', ὅταν τὸ κύριον μόλῃ φάος τόκου.* Maxime enim verisimilis haec scriptura ab Engero et Dindorfio (edit. Lips. 1869) exhibita mihi videtur.

Iam vero ab ortu ad pueritiam vel iuventutem transeamus, quam poeta flammae tribuit fragm. 372: *ὑψηλὸν ἡβάσασα* (Heathius *ἡβήσασα*) *τεκτόνων πόνον* (intell. *φλὸξ συνεῖλεν*). — De fragm. 178, 5, ubi manus *ἡβῶσα* vocatur, p. 18 dictum est. — De Ag. v. 765: *νεάζουσαν ὕβριν* vid. paulo supra. — Virginales vocantur fontes

Pers. v. 613: *λιβάσιν ὑδρηλαῖς παρθένου πηγῆς μέτα.* Quae verba rectissime, ut equidem censeo, plerique interpretes sic intellegunt, ut sit fons purus vel integer, scholiastam secuti adnotantem: *ἀμολύντου καὶ καθαρᾶς διὰ τὸ τοῖς θεοῖς εἰς θυσίαν συμπαραλαμβάνεσθαι.* Neque vero Tuchio (l. l. p. 18) assentiendum est, cum nimis artificiose, ne dicam inepte „fontes virginum modo saltantes" explicet.

Adnecto translationes, quas Aeschylus a matrimonio vel coniugio mutuatus est. Hasta enim (i. e. bellum) Helenam quasi in matrimonium duxit Ag. v. 686: *τὰν δορίγαμβρον*[50])... *Ἑλέναν*, „dem kriege vermaehlt", quippe quae bellum diuturnum moverit. — Ac calamitates, quibus Oedipus afflictus est, cum eo concubantes finguntur lecti sociae Sept. v. 1004: *ἰὼ πῆμα πατρὶ πάρευνον.* Intellegendi vero videntur esse Eteocles et Polynices fratres occisi, quos sorores iuxta patrem sepulturae sunt[51]), ut miseri illi cum patre misero quasi dormiant.

Ad consenescendi iam notionem progredienti mihi primum liceat locum afferre corruptiorem (Ag. v. 983 sqq.), quam ut in integrum restitui posse videatur. Id tamen, quanquam quot interpretes tot fere coniecturas habemus, constare videtur verbo *παρηβᾶν*[52]) sive ipsum tempus, ut Hermannus Weilius alii volunt, sive funes navales litori adligatos, ut Dindorfius conicit, depingi, ita ut quasi consenescant. Ut Dindorfii scripturam sequamur, verba haec sunt: *χρόνος δ' ἐπεὶ Πρυμνησίων ξυνεμβολαῖς Ψαμμίας ἀκάτα παρήβησεν, εὖθ' ὑπ' Ἴλιον Ὦρτο ναυβάτας στρατός.* — Identidem deinde senectutem ipsam Aeschylus translate adhibuit. Priori illi loco, si verum Hermannus vidit, adiungi potest Prom. v. 981: *ὁ γηράσκων χρόνος.* Cf. Eum. v. 286. — Aetate provecta Troia describitur Ag. v. 709: *Πριάμου πόλις γεραιά.* — Simili modo erice senilis vel vetula inflammatur Ag. v. 295: *γραίας* (e *γεραιός* contractum) *ἐρείκης θωμὸν ἅψαντες πυρί.* — Praeterea ad ea, quae ab oculorum consuetudine abducta sunt, senectus transducitur; ad dictum vel proverbium Ag. v. 750: *γέρων λόγος.* — Choeph. 313 sq.: *δράσαντι παθεῖν, Τριγέρων μῦθος τάδε φωνεῖ.*, quae conformatio pulcherrime verbo loquendi continuatur. Cf. fragm. 317: *ὡς λέγει γέρον γράμμα.* Comparare iuvabit Coeph. v. 805: *γέρων φόνος μηκέτ' ἐν δόμοις τέκοι.* — Sept. v. 682: *οὐκ ἔστι γῆρας τοῦδε τοῦ μιάσματος.* Neque vero omnes has metaphoras integrum imaginis vigorem servasse, sed earum plerasque admodum esse attritas facile conceditur.

Denique mortem quasi obeunt lacrimae Choeph. v. 152 sq.: *ἵετε δάκρυ καναχὲς ὀλόμενον Ὀλομένῳ δεσπότᾳ*[53]). — Emoriuntur porro cineres Ag. v. 819 imagine ab homine petita extremum vitae spiritum edente: *συνθνῄσκουσα δὲ Σποδὸς προπέμπει πίονας πλούτου*

πνοάς. Neque opus esse coniectura Engeri quamvis speciosa „*δυσθνήσκουσα*" a Keckio recepta satis mihi quidem probatum est iis, quae van Heusde (p. 316) et Weilius (p. 67) ad h. l. adnotarunt. — Etiam ea, quae cerni non possunt, morte quasi exstinguuntur. Nam fama moritur Ag. v. 486 sq.: *ἀλλὰ ταχύμορον Γυναικογήρυτον ὄλλυται κλέος*. — Similiter Choeph. v. 845 sq.: *ἢ πρὸς γυναικῶν δειματούμενοι λόγοι Πεδάρσιοι θρώσκουσι, θνήσκοντες μάτην*; cf. Ag. v. 754.

Hae sunt, quod sciam, conformationes, quas poeta de aetate humana inde ab ortu usque ad mortem sumpsit. Quibus paucas subiungam translationes sic ortas, ut ipsum vivere rebus tribuatur. Ac semper vivida herba illa fingitur, qua mortem prohiberi posse veteres putabant fragm. 31: *ὁ τὴν ἀείζων ἄφθιτον πόαν φαγών*. — Danaus ab Argivis se foveri dicit, ne ipso interfecto calamitas semper vivens eorum terrae exsistat Suppl. v. 988: *χώρᾳ δ' ἄχθος ἀείζων πέλοι*. — Vivunt deinde tempestates, quibus *ἄτη* homines perdat Ag. v. 819: *ἄτης θύελλαι ζῶσι*. — Postremo gloria depingitur viva eorum, qui pro patria mortem occubuerunt, praeclaro illo epigrammate, quod exstat fragm. 449: *ζωὸν δὲ φθιμένων πέλεται κλέος, οἵ ποτε γυίοις Τλήμονες Ὀσσαίαν ἀμφιέσαντο κόνιν*.

§ 4.

De conformationibus de corporis humani necessitatibus vitiis debilitatibus depromptis.

Aeschylus non modo omnia fere, quae ad corpus humanum alendum ac sustentandum necessaria sunt, sed etiam mala et vitia, quibus illud affici solet, ad ea, quae vita carent, transtulit, atque ita quidem, ut tanquam corpore hominum induta ea cernere ac paene tangere nobis videamur. Ac primum a sitiendo et bibendo hasce hausit imagines. Pulveri vel harenae humores absorbenti sitis attribuitur Suppl. v. 782: *διψὰς κόνις*. — Bibens fingitur pulvis Eum. v. 980: *πιοῦσα κόνις μέλαν αἷμα πολιτᾶν*. — Sept. v. 736 sq.: *ἐπειδὰν . . . χθονία* (Herm. *γαῖα*) *κόνις πίῃ Μελαμπαγὲς αἷμα φοίνιον*. — Ipsa terra sanguinem bibit Sept. v. 821: *πέπωκεν αἷμα γαῖ' ὑπ' ἀλλήλων φόνῳ*. At haec quidem verba ab Aeschylo abiudicant nonnulli viri docti; tamen cum Hermanno et Weilio retinenda esse existimaverim. Cf. Choeph. v. 66: *αἷματ' ἐκποθένθ' ὑπὸ χθονός*.; ibid. v. 97: *γάποτον χύσιν*.; v. 163: *γαπότους χοάς*.; Pers. v. 621: *γαπότους τιμάς* i. e. libationes a terra bibendas. — Denique per metonymiam, ita ut comissantes intellegantur, explicandus est Ag. v. 1188, ubi comissatio hominum sanguinem bibere videtur: *καὶ μὴν πεπωκώς γ', ὡς θρασύνεσθαι πλέον, Βρότειον αἷμα κῶμος ἐν δόμοις μένει*.

Subsequuntur paucae metaphorae a fame petitae. — Ipsa fames adiectivo νῆστις illustratur Choeph. v. 250: τοὺς δ' ἀπωρφανισμένους νῆστις πιέζει λιμός, quocum loco Hense l. l. p. 239 haud inepte comparat Ovid. Metam. 8, 793: Frigus iners illic habitant Pallorque Tremorque et ieiuna Fames. Neque dubito, quin verum viderit vir doctus, cum Papium Passowium Dindorfium (vid. lex.) falso hunc locum convertisse dicat. Illi enim voci νῆστις sensum activum subesse statuentes interpretantur „famem efficiens". Verumenimvero ipsa fames quasi persona eaque ieiuna introducitur (cf. Ag. v. 1641 sq.). — Simili ratione per metonymiam explicari posse videntur Ag. v. 1017: νῆστιν νόσον.; ibid. v. 1621: νήστιδες δύαι (vid. lex. Aesch. Dind. s. v. νῆστις). — Deinde calamitates cibo quasi aluntur Suppl. v. 618sqq.: ξενικὸν ἀστικόν θ' ἅμα λέγων διπλοῦν μίασμα πρὸς πόλεως φανὲν Ἀμηχάνου βόσκημα πημονῆς πέλειν. Quibus Danaus filiabus nuntiat Argivos ipsas tam benevole esse excepturos, ut nemini hospitium violare liceat, nisi irā Iovis supplices tuentis motā calamitatibus, quae inde in urbem irrumpant, nutrimentum praebere velit. — Postremo insatiabilis vocatur et miseria Ag. v. 756: ἀκόρεστον οἰζύν (cf. Ag. v. 1484), et Discordia ibid. v. 1117: Στάσις δ' ἀκόρετος... Numen enim hoc loco Discordiam esse accipiendam Klausenius vidit, quem Weilius Keckius Engerus Hartungus Ahrensius secuti sunt, cum Hermannus et Dindorfius minusculis στάσις scribant. Nam quanquam Στάσις dea apud alios scriptores non reperitur, certe tamen illam eadem fere ratione atque Ἔριν[54]) quasi vita induere fervido Aeschyli ingenio licuit, praesertim cum verba illa Cassandrae sint, quae, ut vatum proprium videtur, imaginibus ut obscuris ita audacissimis, quid velit, illustrat[55]).

Pergamus iam ad translationes a somno ductas. Quae ita in ordinem esse digerendae mihi videntur, ut eas componamus, ubi concreta et abstracta vel quasi sopiuntur vel dormiunt vel e somno excitantur vel insomnia effinguntur. Ac prima iam § exposuimus, quomodo corporis humani partes vel sopiri (palbebrae oculi lingua) vel dormire (sanguis cadaver) videantur (cf. p. 17 sq. passim). — Consopitur deinde flamma, cum exstinguitur Ag. v. 597: κοιμῶντες εὐώδη φλόγα. — Huc etiam referendi sunt duo loci, quibus ἄτη illa et ira tanquam consopitae describuntur: Choeph. v. 1075 sq.: ποῖ καταλήξει Μετακοιμισθὲν μένος ἄτης; — Eum. v. 832: κοίμα κελαινοῦ κύματος πικρὸν μένος. Quam imaginem quin e mari tumido poeta hauserit, quis est, qui dubitet? — Pulcherrimā metaphorā mare tranquillum quietumque quasi meridiationi se dedit Ag. v. 565 sq.: εὖτε πόντος ἐν μεσημβριναῖς Κοίταις ἀκύμων νηνέμοις εὕδοι πεσών. — Eadem pingendi ratione poeta usus est Suppl. v. 771: κἂν ᾖ γαλήνη, νήνε-

μος δ' εὕδῃ κλύδων, siquidem eius verba sunt. — Audacissime ipsum tempus, quod inter dormiendum praeterlabitur, una cum hominibus somno captum fingitur Ag. v. 894: *τοῦ ξυνεύδοντος χρόνου*. Quae translatio quamvis insolens nobis quidem videatur, minime tamen Keckium, qui cum Karstenio *ξυνᾴδοντος* scripsit, adducere debebat, ut traditam illam scripturam non modo ab Aeschyli genere dicendi alienam, sed plane inanem esse censeret (cf. edit. p. 343). — Mens denique vel animus tanquam dormiunt hisce locis: Eum. v. 104: *εὕδουσα γὰρ φρὴν ὄμμασιν λαμπρύνεται.* — Ag. v. 275: *βριζούσης φρένος*. — Sept. v. 287: *φόβῳ δ' οὐχ ὑπνώσσει κέαρ*. — Calamitates, quas Troiani occisi acceperint, ne e somno quasi suscitatae Graecis mala afferant Clytaemnestra metuit Ag. v. 346 sq.: *ἐγρηγορὸς τὸ πῆμα τῶν ὀλωλότων Γένοιτ' ἄν* . . . — Praesidium semper vigil Atheniensibus Areopagum fore, religiosissimum illud iudicium, Minerva dicit hisce: *εὑδόντων ὕπερ Ἐγρηγορὸς φρούρημα γῆς καθίσταμαι* (Eum. v. 684 sq.). Scilicet Areopagitae intellegendi sunt, qui caedem persequentes civium saluti consulerent. — Metonymia cernitur praeclara illa quoque translatione, qua, quae de custodibus in Macisto monte collocatis proprie valent, ad ipsum montem transducta sunt. Atque minime somno oppressus Troiam esse captam mons ille pronuntiat Ag. v. 290 sq.: *ὁ δὲ* (sc. *Μάκιστος*) *οὔτι μέλλων, οὐδ' ἀφρασμόνως ὕπνῳ Νικώμενος παρῆκεν ἀγγέλου μέρος*. Cf. p. 47. — Qua imagine iam ad eas conformationes delapsi sumus, quibus res inanimae quasi somni expertes oculis nostris proponuntur. Sic Iovis fulmen insomne vocari videtur per metonymiam traductis ad instrumentum iis, quae eius, qui utitur, propria sunt, Prom. v. 358: *Ζηνὸς ἄγρυπνον βέλος*. — Oceani porro fluctus, cum semper moveantur, nunquam quiescunt Prom. v. 139: *ἀκοιμήτῳ ῥεύματι*. — Eadem denique ratione explicari potest Sept. v. 205 sqq.: *ὅτε τε σύριγγες ἔκλαγξαν ἑλίτροχοι, Ἱππικῶν τ' ἀγρύπνων* (ex Seidleri coniectura) *πηδαλίων δία στόμια πυριγενετᾶν χαλινῶν*. Haec enim Hermanni scriptura, cum *ἀΰπνων* falso traditum esse metrum docere videatur, maxime mihi placet, nam et ad ea, quae tradita sunt, proxime accedit et ad sequens illud *πυριγενετᾶν* (Dind. *πυριβρεμετᾶν* cf. p. 24) optime quadrat. Pulcherrime enim sic imaginis vis usque ad finem viget; namque freni ex igne quasi nati adeo moventur, ut nunquam somno se praebere possint. Utitur autem poeta hac translatione, ut ingentem illum illustret strepitum equis curribusque editum (cf. schol.). Contra Dindorfii scriptura, qui Lachmannum secutus pro *ἀΰπνων* „*ἄπνον*" praebet, illa quidem metaphora plane confunditur.

Iam restant translationes, quas Aeschylus e corporis humani vitiis et debilitatibus libavit. Huc enim pertinet pervenusta illa imago,

qua terra Neptuni tridente concussa morbo correpta fingitur Prom. v. 924: *θαλασσίαν τε γῆς τινάκτειραν νόσον Τρίαιναν κτλ.*[56]). — Integra valetudine utuntur Nili aquae Suppl. v. 561: *ὕδωρ τὸ Νείλου νόσοις ἄθικτον.* — Vulnera urbs accipit Ag. v. 640: *πόλει μὲν ἕλκος ἓν τὸ δήμιον τυχεῖν.* Quae quidem metaphora et in lingua latina reperitur (rei publicae vulnera inurere) et apud nostrates (dem staat wunden schlagen). — Dominatio illo laborat morbo, ut ne amicis quidem fidem habeat Prom. v. 224 sqq.: *ἔνεστι γάρ πως τοῦτο τῇ τυραννίδι Νόσημα, τοῖς φίλοισι μὴ πεποιθέναι.* — De Prom. v. 378 vid. § 5, p. 36. — Breviter denique perstrinxerim frag. 390: *μάχλον ἄμπελον*, quo corporis incontinentia atque libido viti luxurianti tribuitur.

Iam vero quoniam conformationes, quibus Aeschylus solum corpus humanum concretis abstractisque dedit, pertractavimus, translationes mihi effundendae esse videntur ea ratione effictae, ut res inanimae et mentis notiones corporis humani specie ita quasi induantur, ut iam ea, quae mentis propria sunt, plus minus addantur. Huc eas imagines refero, quibus aut necessitudines et rationes inter homines intercedentes aut corporis motus et actiones conscia mente effectae ad res sensu carentes transferuntur.

Caput B.

§ 5.

De conformationibus e variis hominum necessitudinibus et rationibus petitis.

In huiusmodi imaginibus colligendis tenendum videtur rationes, quae inter homines intercedant, aut ipso ortu natas ad propinquitatem pertinere aut e variis vitae condicionibus pendere. Quam ob rem incipiamus ab iis metaphoris, quibus Aeschylus cognationis et consanguinitatis vincula, quibus homines inter se coniunguntur, ad ea, quae sunt inanimata, transduxit. Atque Tellurem veteres omnium rerum genetricem et matrem putavisse iam ante dictum est. Huc pertinet Prom. v. 90: *παμμῆτορ γῆ.* Quo fit, ut poeta, ubi nullam Terrae deae rationem duxisse videtur, facere non possit, quin terras singulas iisdem fere quibus illam lineamentis circumscribat. Itaque elegantissima translatione patriam terram civium et matrem et nutricem describit Sept. v. 16 sqq.: *Γῇ τε μητρὶ* (int. *χρὴ ἀρήγειν*), *φιλτάτῃ τροφῷ· Ἡ γὰρ νέους ἕρποντας εὐμενεῖ πέδῳ Ἅπαντα πανδοκοῦσα παιδείας ὄτλον, Ἐθρέψατ' οἰκητῆρας ἀσπιδηφόρους Πιστοὺς*[57]) *ὅπως γένοισθε πρὸς χρέος τόδε.* — Similiter conformatus est Sept.

v. 416: *εἴργειν τεκούσῃ μητρὶ πολέμιον δόρυ*: pro Thebis quasi matre Melanippus pugnaturus est. — Huc eiusd. f. v. 548 quoque referendus est: *μέτοικος* (int. *Παρθενοπαῖος*) *Ἄργει δ' ἐκτίνων καλὰς τροφάς*. Parthenopaeus enim Arcas, qui postquam exsul Argos se contulit ibique educatus est, huic terrae tanquam matri educationis mercedem ita exsolvere studet, ut cum ceteris Argivis contra Thebas decertaturus sit. At dubium, num versus inde a v. 546 usque ad v. 549 Aeschyli sint. — Scythia porro ferro abundans mater ferri vocatur Prom. v. 301: *τὴν σιδηρομήτορα ἐλθεῖν ἐς αἶαν*. — Mare piscium mater est Pers. v. 577 sq.: *σκύλλονται πρὸς ἀναύδων Παίδων τᾶς ἀμιάντου* (sc. *ἁλός*). Quam imaginem ad orientalium scriptorum dictionem proxime accedere adnotat Teuffelius (edit. II. Pers. p. 34). — Plantae matris notione illustratae apud Aeschylum non obviae sunt nisi vitis Pers. 614 sq.: *ἀκήρατόν τε μητρὸς ἀγρίας ἄπο Ποτὸν παλαιᾶς ἀμπέλου γάνος τόδε*. — Mythica scilicet notione nox mater effingitur et Furiarum Eum. v. 321, v. 745, v. 844 aliis locis, et aurorae Ag. v. 264 sq.: *εὐάγγελος μέν, ὥσπερ ἡ παροιμία, Ἕως γένοιτο μητρὸς εὐφρόνης πάρα*. — Ex abstractis memoria Musarum i. e. artium mater vocatur Prom. v. 461: *μνήμην ἁπάντων, μουσομήτορ' ἐργάνην* (codd. *ἐργάτιν*). Hanc enim Weilii Engeri aliorum scripturam, quia ad eam, quae tradita est, proxime accedit et aptam praebet sententiam recipiendam esse existimo, quamvis elegans sit Hemsterhusii coniectura a plerisque editoribus probata: *μνήμης ἁπάντων μουσομήτορ' ἐργάνην*. — Denique in proverbii vim paene abiisse videtur Sept. v. 224 sq., ubi oboedientia mater prosperitatis appellatur: *πειθαρχία γάρ ἐστι τῆς εὐπραξίας Μήτηρ* . . . Bene schol.: *σωματοποιεῖ δὲ τὰ πράγματα*.

Hae sunt, quantum scio, conformationes de matre promptae. Una eaque magnificentissima praeterea exstat translatio, qua novercae acerbitas atrocitasque maris faucibus tribuitur, ubi naves ad scopulos appelli ac frangi solent: *ἵνα Τραχεῖα πόντου Σαλμυδησσία γνάθος Ἐχθρόξενος ναύταισι, μητρυιὰ νεῶν* (Prom. v. 725 sqq.).

Contra patris notio, id quod fortasse mirum videtur, translate usurpata nusquam apud Aeschylum invenitur, nisi forte fragm. 159 huc referri potest, ubi Ister flumen Nympharum parens vocatur: *Ἴστρος τοιαύτας παρθένους λοχεύεται*. — Pereleganti autem imagine Clytaemnestra collucentes faces, quibus de Troiae expugnatione certior est facta, minime proavo Idaeo carere praedicat, a quo originem duxerint Ag. v. 311: *φάος τόδ' οὐκ ἄπαππον Ἰδαίου πυρός*.

Saepius liberorum notio metaphorice adhibetur. Nam terrae filii flores sunt Pers. v. 618: *ἄνθη τε πλεκτά, παμφόρου γαίας τέκνα*. — Nymphas Inachus flumen habet filias fragm. 170: *Ἰνάχου Ἀργείου*

ποταμοῦ παισὶν βιοδώροις (int. *ἀγείρω*). — Multis liberis aucta finguntur flumina Suppl. v. 1027 sqq.: *ποταμοὺς δ' οἳ διὰ χώρας θελεμὸν πῶμα χέουσιν Πολύτεκνοι, λιπαροῖς χεύμασι γαίας Τόδε μειλίσσοντες οὖδας.* Quibus quidem quid sibi voluerit poeta, ex ipsis verbis minus elucet, quam ut quid *πολύτεκνοι* illud significet, pro certo diiudicari posse videatur. Namque incertum est, utrum graminum florumque copiam, quae in ripis aqua fluviali superfusis enascuntur, ille respexerit, an ipsas aquas intellexerit, quas numina fluminum ad arva irriganda e fontibus usque quasi parerent. Quod mihi quidem verisimilius videtur, cum saepenumero flumina aquarum parentes[58]) vocentur. Contra omnes, quod sciam, qui h. l. interpretati sunt[59]), priorem illam sententiam ei subesse volunt, scholiastam, ni fallor, secuti, qui „*πολυτεκνίας πρόξενοι*" ad *πολύτεκνοι* adnotat. — Etiam abstractis nonnullis (*ἄτη, πότμος, πόνος, δυσσεβία*) liberi dantur: Ag. v. 385 sq.: *βιᾶται δ' ἁ τάλαινα πειθώ, Προβουλόπαις ἄφερτος ἄτας,* quae verba Hermannus optime sic vertit: „urget, ut homines in perniciem ruant, audax suada, consultrix filia effrenata culpae." Neque iusta mihi videtur esse causa, cur nonnulli viri docti traditum illud *προβουλόπαις* in dubitationem vocantes alii cum Hartungo *προβούλου παῖς*, alii cum Karstenio *πρόβουλος, παῖς* ... in textum receperint[60]). — Pulchros filios fatum habet Ag. v. 761 sq.: *οἴκων δ' ἄρ' εὐθυδίκων Καλλίπαις πότμος ἀεί,* quibus verbis, ut Schuetzii explicationem ascribam, hic fere sensus subest: „ex iustitia non alii nisi fausti et boni eventus nascuntur." — Gloria laboris est filia fragm. 306: *τῷ πονοῦντι δ' ἐκ θεῶν Ὀφείλεται τέκνωμα τοῦ πόνου κλέος.* — Denique superbia impietatis filia appellatur Eum. v. 534: *δυσσεβίας μὲν ὕβρις τέκος ὡς ἐτύμως.* Quae quidem verba sine dubio in proverbii fere consuetudinem iam venerant. — Praeterea conferas Sept. v. 662; Eum. v. 6; ibid. v. 416.

Insigne documentum audaciae Aeschyleae hae duae imagines referunt, quibus fratris notio figurate adhibetur. Sicut enim fumus ignis est frater Sept. v. 494: *λιγνὺν μέλαιναν, αἰόλην πυρὸς κάσιν,* ita pulvis luti Ag. v. 494 sq.: *μαρτυρεῖ δέ μοι κάσις Πηλοῦ ξύνουρος διψία κόνις.*

Reliquum est, ut paucos locos adiungamus, quibus in universum consanguinitatis notio metaphorice usurpatur. Ac cognatus nominatur cincinnus ille, quem Orestes in patris tumulo deposuit Choeph. v. 199: *ἢ ξυγγενὴς ὢν εἶχε συμπενθεῖν ἐμοί* (sc. *πλόκος*). — Timor deinde verecundiae propinquus fingitur Eum. v. 693 sq.: *σέβας Ἀστῶν φόβος τε συγγενής* ... Rapinae denique consanguinitate quasi coniunctae sunt cum discursu Sept. v. 351: *ἁρπαγαὶ δὲ διαδρομᾶν ὁμαίμονες.*

Iam ut propositum est, ad eas progrediamur conformationes tractandas, quibus rationes e vitae humanae condicionibus ortae ad concreta abstractaque transducuntur. Atque exordiri mihi liceat ab iis imaginibus, quibus alendi sustentandique notio iis, quae sunt inanimata, attribuitur. Quae hic inserendae mihi visae sunt, quoniam haud raro ad eas translationes, quae parentum notionem translate adhibent, proxime accedunt. Quam brevissime satis habeo afferre exempla. Sol igitur terrae est nutrix Ag. v. 633: *πλὴν τοῦ τρέφοντος Ἡλίου χθονὸς φύσιν.*, atque terra omnium rerum, quae in ea crescunt et efflorescunt: Choeph. v. 66: *ὑπὸ χθονὸς τροφοῦ.* Cf. ibid. v. 128, v. 585. — Eadem fere ratione singulae terrae effinguntur: Eum. v. 58 sq.: *οὐδ' ἥτις αἶα τοῦτ' ἐπεύχεται γένος Τρέφουσ' ἀνατὶ μὴ μεταστένειν πόνον.* — Asia oves alit Pers. v. 763: *Ἀσίδος μηλοτρόφου.*; similiter Suppl. v. 548: *μηλοβότου Φρυγίας.* Cf. ibid. v. 558. — Insula porro columbis abundans *πελειοθρέμμων* vocatur Pers. v. 309. — Aegypti arva prataque fertilitate insignia a nivibus quasi nutriuntur Suppl. v. 559: *λειμῶνα χιονόβοσκον*[61]). Male Hense l. l. p. 217 *χιονόβοσκον* illud sensu activo accepisse videtur, quia comparat cum hoc loco Eur. Phoen. v. 1571: *λωτοτρόφον κατὰ λείμακα.* Quod si volebat, *χιονοβόσκον* ei scribendum erat. Intellexit vero poeta sine dubio nives resolutas[62]) de montibus Aethiopicis delapsas, quibus auctae Nili aquae fertilissimos reddebant campos. Quae cum ita sint, quidni poetae licuerit nives quasi nutrices appellare camporum? Quapropter Oberdickius in librorum illa scriptura non adeo haerere debebat, ut fieri non posse ratus, ut ipsa arva Nilo adiacentia *χιονόβοσκα* appellarentur, coniecturam *χλῃδόβοσκον* proponeret (Suppl. edit. p. 144 sq.). — Etiam mari et fluminibus nutriendi notionem Aeschylus impertivit. Sic mare purpurarum copiam alit Ag. v. 958 sqq.: *ἔστιν θάλασσα, ... Τρέφουσα πολλῆς πορφύρας ἰσάργυρον Κηκῖδα...* Similem in modum Nilus depingitur hisce locis: Pers. v. 33: *ὁ μέγας καὶ πολυθρέμμων Νεῖλος.*; Suppl. v. 281: *καὶ Νεῖλος ἂν θρέψειε τοιοῦτον φυτόν.*; ibid. v. 497: *Νεῖλος γὰρ οὐχ ὅμοιον Ἰνάχῳ γένος Τρέφει.* Cf. fragm. 192, 4: *λίμναν παντοτρόφον* (Lobeck. *πάντων τροφόν*) *Αἰθιόπων.* — Unum denique abstractum huiusmodi metaphora illustratur Choeph. v. 921: *τρέφει δέ γ' ἀνδρὸς μόχθος ἡμένας ἔσω* i. e. virorum labor alit mulieres domi remanentes. Explicari potest per metonymiam. Sed harum translationum nimirum plurimae, alia quidem magis aliā, usu tritae exstinctaeque sunt.

Veniamus iam ad ea exempla, quibus res vita carentes vicinitate quasi inter se coniunctae sunt. Praecedant autem tres imagines notionem habitandi vel una habitandi in universum exhibentes. Calamitates enim semper denuo in Oedipi gentem ingruentes foco tan-

quam assident in domoque eius habitant Sept. v. 851 sq.: (*τί φῶ;*) *τί δ' ἄλλο γ' ἢ πόνοι δόμων ἐφέστιοι*; ad quae schol.: *ἢ τὰ κακὰ ἀπὸ τῶν κακῶν οἰκεῖ ἐν τῇδε τῇ ἑστίᾳ καὶ τοῖς οἴκοις τούτοις.* — Exquisita deinde conformatione fames tenebrarum contubernalis fingitur Ag. v. 1641 sq.: *ὁ δυσφιλὴς σκότῳ Λιμὸς ξύνοικος μαλθακόν σφ' ἐπόψεται.* Sunt autem verba Aegisthi minitantis se eum, quicunque sibi regnanti obstiterit, in carcerem caliginosum esse conditurum, ubi fames tenebraeque eum reddant mansuetum. Mythica opinio num in hac metaphora reperiatur, quia Fames apud veteres numen divinum est credita (cf. p. 27), quanquam pro certo affirmari non potest, verisimile tamen videtur, cum verbo *ἐπόψεται* videndi facultas fami ascribatur. Utut vero est, cum omnes editores hanc traditam librorum scripturam, quae optime in imaginem quadrat, servaverint, Keckius tamen ex Karsteni coniectura *σφ' ἐπόψεται* in *σφε πέψεται* mutavit. Coniectura sane sagacissima! At omnino huic loco opus est emendatione? Nodum illi in scirpo quaesivisse mihi videntur. Habemus enim tradita verba si retinemus, metaphoram grandiloquo Aeschyli ingenio certe dignissimam. Quod vero Keckius, ut suam comprobet scripturam, argumentum affert hoc *ἐπί* praepositionem verbi compositi *ἐπόψεται* nullam hoc loco habere vim (p. 466), id profecto nihil valet. An non sexcenta occurrunt exempla, ubi verbum compositum idem fere significare videtur atque simplex? — Mythica denique notione Suppl. v. 415 *Ἀλάστωρ* epitheto *ξύνοικος* describitur.

Quibus propositis conformationibus iam eae perlustrandae sunt, ubi inter ea, quae sensu carent, vicinitas intercedere videtur. Europa igitur translatione scilicet attrita Asiae vicina vocatur Pers. v. 67: *γείτονα χώραν.* Cf. eiusd. f. v. 886: *Τήνῳ τε συνάπτουσ' Ἄνδρος ἀγχιγείτων.* — v. 311. — Montium porro cacumina cum stellis consuetudinem habent Prom. v. 721: *ἀστρογείτονας κορυφάς.* — Ac fumus ad caelum evolans nubibus quasi utitur vicinis Suppl. v. 780: *μέλας γενοίμαν καπνὸς νέφεσι γειτονῶν Διός.* — Specula deinde prope ab urbe sita vicinitate tanquam cum ea coniuncta est Ag. v. 309: *ἀστυγείτονας σκοπάς*; similiter Sept. v. 486: *γείτονας πύλας.* — Denique ex abstractis venustissima translatione curae cordi vicinae finguntur Sept. v. 288 sq.: *γείτονες δὲ κάρζας* (Herm. et Weil. trad. v. *καρδίας*). *Μέριμναι ζωπυροῦσι τάρβος κτλ.* — Atque morbus valetudini adeo vicinus vocatur, ut uno tantum pariete ab ea seclusa sit Ag. v. 1001 sqq.: *μάλα γάρ τοι τᾶς πολλᾶς ὑγιείας Ἀκόρεστον τέρμα. νόσος γὰρ* ⏑ — *Γείτων ὁμότοιχος ἐρείδει.* Ceterum quia hic locus tantis mendis lacunisque depravatus est, ut vix quisquam eum in integrum restituere possit, satis habeo cum Dindorfio codicis Flor. scripturam at-

tulisse, nam conformatio, quam solam curamus, tradita videtur esse integra.

Etiamsi in imaginibus prolatis iam ea, quae mentis humanae propria sunt, rebus inanimis addi manifestum est, plus tamen e sequentibus ea elucent translationibus, quibus concreta abstractaque in ea quasi condicione collocata sunt, ut conscia mente munere quodam fungi videantur. Dithyrambum igitur Aeschylus depinxit pompae Bacchiae socium fragm. 392: *πρέπει Διθύραμβον ὁμαρτεῖν Σύγκωμον* (sic Porsonus pro trad. v. *σύγκοινον*, quod nusquam legitur) *Διονύσῳ*. — Cilissa, Orestis nutrix, cum tristis prodeat, ita nobis proponitur, quasi sollicitudinem ingratam habeat comitem Choeph. v. 733: *λύπη ἄμισθός ἐστί σοι ξυνέμπορος*.

A servorum deinde condicione petitae haece metaphorae apud nostrum obviae sunt: Ag. v. 944 sq. pulcherrime calcei illustrantur pedum quasi servi: *ὑπαί τις ἀρβύλας λύοι τάχος, πρόδουλον ἔμβασιν ποδός*. — Fragm. 194 vehicula servorum locum agunt: *ἵππων ὄνων τ' ὀχεῖα καὶ ταύρων γονὰς Δοὺς ἀντίδουλα καὶ πόνων ἐκδέκτορα*. — Urbs expugnata vocatur serva Sept. v. 321 sq.: *οἰκτρὸν γὰρ πόλιν ὧδ' ὠγυγίαν Ἀΐδᾳ προϊάψαι, δορὸς ἄγραν, δουλίαν κτλ.*

Ab imperandi autem vel dominandi notione poeta has conformationes duxit. Stellarum, quae in caelo nocturnam quasi habent contionem, splendidos duces extollit Sirium Orionem Pleiadas alia signiferi orbis sidera, quae anni tempora indicant Ag. v. 4 sqq.: *ἄστρων κάτοιδα νυκτέρων ὁμήγυριν, Καὶ τοὺς φέροντας χεῖμα καὶ θέρος βροτοῖς Λαμπροὺς δυνάστας, ἐμπρέποντας αἰθέρι*. — Navis, quae prima ad litus appellitur ad Danai filias capiendas, *ἡγεμών* appellatur (Suppl. v. 722). — Prometheus saxo, ad quod devinctus est, quasi servit velut domino atroci[63]) Prom. v. 968 sq.: *κρεῖσσον γὰρ οἶμαι τῇδε λατρεύειν πέτρᾳ Ἢ πατρὶ φῦναι Ζηνὶ πιστὸν ἄγγελον*. — Simili modo iugum feris impositum quodammodo iis imperat, cui obsequi cogantur Prom. v. 462 sq.: *κἄζευξα πρῶτος ἐν ζυγοῖσι κνώδαλα Ζεύγλαισι δουλεύοντα*[64]) *κτλ.*

Hic duas subiungere mihi liceat translationes, quae alio loco non bene inseruntur. Procella, qua naves franguntur, navium tanquam malus est pastor Ag. v. 657: *ᾤχοντ'* (sc. *ναῦς*) *ἄφαντοι ποιμένος κακοῦ στρόβῳ* (cf. § 9, p. 52). — Atque homini silentii officio obstricto clavis quasi custos in lingua est fragm. 307: *ἀλλ' ἔστι κἀμοὶ κλῄς ἐπὶ γλώσσῃ φύλαξ*. Quae verba in proverbium fere cessisse mihi videntur (cf. Ag. v. 36).

Porro nonnullis locis vox *σύμμαχος* translate posita est. Nam ipsa terra Graecorum fingitur adiutrix Pers. v. 792 sqq.: *αὐτὴ γὰρ ἡ γῆ ξύμμαχος κείνοις πέλει... Κτείνουσα λιμῷ τοὺς ὑπερπόλλους ἄγαν.* —

Quocum loco fere congruit Sept. v. 585 sq.: πατρίς τε γαῖα σῆς ὑπὸ σπουδῆς δορὶ Ἁλοῦσα πῶς σοι ξύμμαχος γενήσεται;[65]). — Per metonymiam hasta σύμμαχος vocatur Eum. v. 773. — Denique etiam abstracta hac ratione celebrantur; mythica enim notione iustitia depingitur hunc in modum Choeph. v. 497: ἤτοι δίκην ἴαλλε σύμμαχον φίλοις. — Suppl. v. 395: ξύμμαχον δ' ἑλόμενος δίκαν.

Pereleganter aqua et ignis coniurati inducuntur, qui foedere facto iam invicem sibi fidei pignora dederunt, Argivorum ut perdant exercitum Ag. v. 650 sqq.: ξυνώμοσαν γάρ, ὄντες ἔχθιστοι τὸ πρίν, Πῦρ καὶ θάλασσα, καὶ τὰ πίστ' ἐδειξάτην Φθείροντε τὸν δύστηνον Ἀργείων στρατόν. — Similiter somnus et labor coniuncti sunt, ut Furias opprimant Eum. v. 127: ὕπνος πόνος τε κύριοι συνωμόται...

Ut ceteras, quae huc pertinent, conformationes adiciamus de bellandi notione depromptas, immolatio Iphigeniae effectrix rixae effingitur Ag. v. 151 sqq.: σπευδομένα θυσίαν ἑτέραν... νεικέων τέκτονα. Sic enim omnes, quod sciam, hunc locum intellegunt excepto Keckio, qui νεικέων τέκτονα Atridarum ἀλάστορα significare statuit (vid. ed. p. 238 sq.). Sed mihi quidem vir doctissimus non persuasit. — Praeclara translatione ferrum effertur tanquam arbiter bellum componens Sept. v. 941 sqq.: πικρὸς λυτὴρ νεικέων Ὁ πόντιος ξεῖνος ἐκ πυρὸς συθεὶς Θηκτὸς σίδαρος. — Eandem fere gladii depingendi rationem poeta sequitur Sept. v. 727 sqq.: ξένος δὲ κλήρους ἐπινωμᾷ Χάλυβος Σκυθῶν ἄποικος, Κτεάνων χρηματοδαίτας πικρός, ὠμόφρων σίδαρος. (Cf. Choeph. v. 159 sqq.). Schol.: σεσωματοποίηκε γὰρ τὸν σίδηρον... Ad „χρηματοδαίτας πικρός" conferre iuvat Sept. v. 711, ubi Oedipi exsecrationes πατρῴων χρημάτων δατήριοι vocantur.

Etiam vindicis et servatoris notionem Aeschylus metaphorice exhibet. Nam cruorem Agamemnonis caede effusum describit hisce Choeph. v. 67: τίτας φόνος πέπηγεν οὐ διαρρύδαν. — Atque mythica opinione Ἀλάστωρ ille Iovis appellatur vindex omnia conspiciens, si cum Oberdickio et Weilio Hermanni[66]) scripturam sequimur: Δῖον ἐπιδόμενοι πράκτορα πάνσκοπον (Suppl. v. 646). — Perpulchra deinde imagine Clytaemnestra Agamemnonem comparat cum fune ancorario, qui navis tanquam servator est Ag. v. 897: σωτῆρα ναὸς πρότονον[67]). — De Ag. v. 664, ubi Fortuna voce σωτήρ extollitur, vid. p. 23. — Denique huc refero Suppl. v. 805 sqq., ubi Danai filiae mortem sibi precantur, quippe quae se liberatura sit a nuptiis cum Aegypti filiis faciendis: ἐλθέτω μόρος, πρὸ κοίτας γαμηλίου τυχών, ἀλλύτας. .τίν' ἂν πόρον τέμνοιν γάμου λυτῆρα;[68]).

Iam vero eas translationes perquirere e re visum est, quibus res inanimae mentisque notiones officio quodam suscepto minus corpore aliquid agere quam ad munus aliquod exsequendum quasi mentis

facultatibus uti videntur. Pulvis enim humo excitatus tanquam nuntius est, mutus ille quidem, sed tamen certus, qui hostes adventare ad chorum deferat Sept. v. 81 sq.: *αἰθερία κόνις με πείθει φανεῖσ', Ἄναυδος σαφὴς ἔτυμος ἄγγελος.*, quorum simillima sunt haec verba oxymora, quae leguntur Suppl. v. 180: *ὁρῶ κόνιν, ἄναυδον ἄγγελον στρατοῦ.* — Huc Ag. v. 282 quoque spectat, ubi faces ardentes voce *ἄγγαρος* illustrantur: *φρυκτὸς δὲ φρυκτὸν δεῦρ' ἀπ' ἀγγάρου πυρὸς Ἔπεμπεν* ... Namque *ἄγγαροι*, quod est vocabulum e lingua Persica petitum, proprie nuntii nominati sunt, qui alii in aliorum stationem succedentes per totum Persarum regnum equo vehebantur, ut regem de iis, quae facta essent, certiorem facerent. Comparetur eiusd. f. v. 21, v. 475, v. 262. — Aurora deinde ut laeta Troiae captae nuntia sit, Clytaemnestra optat Ag. v. 264 sq.: *εὐάγγελος μὲν ... ἕως γένοιτο* (cf. p. 30). — Vestigiis porro Orestis Furiae tanquam indicibus utuntur, quippe quae prodant, quo aufugerit Eum. v. 245: *ἕπου δὲ μηνυτῆρος ἀφθέγκτου φραδαῖς.* — Ac metus animi rector fingitur Eum. v. 516 sqq.: *ἔσθ' ὅπου τὸ δεινὸν εὖ, Καὶ φρενῶν ἐπίσκοπον Δεῖ μένειν καθήμενον.* Quam Hermanni[69]) scripturam Opusc. VI, 2. p. 83 sqq. propositam admodum probabilem cum Weilio recipimus. Convertit autem Hermannus h. l. ita: „nonnunquam bonum est timere, et oportet animi custodem constitutum manere"[70]). Neque postea illum in alia nec meliora abire debuisse recte Weilius monet (p. 63). — Utcunque vero res se habet, et Passowium et Papium errasse, cum verba illa interpretarentur: „das das gemueth trifft, bewegt", nemo est, quin facile concedat.

Magis etiam mentis facultates concretis abstractisque tribui videntur iis, quas iam allaturus sum metaphoris de medici magistri vatis notione sumptis. Vincula famemque optimos esse medicos, qui vel senectutem docere possint, Aegisthus ait hisce: Ag. v. 1621 sqq.: *δεσμὸς δὲ καὶ τὸ γῆρας αἵ τε νήστιδες Δύαι διδάσκειν ἐξοχώταται φρενῶν Ἰατρομάντεις.* — Exquisita praeterea huiusmodi translatio fragm. 244 extat mythica opinione effecta: *ὦ Θάνατε Παιάν, μή μ' ἀτιμάσῃς μολεῖν· Μόνος γὰρ εἶ σὺ τῶν ἀνηκέστων κακῶν Ἰατρός, ἄλγος δ' οὐδὲν ἅπτεται νεκροῦ.* — Sermo bene excogitatus animi iracundia ardentis vocatur medicus Prom. v. 378: *φρενὸς*[71]) *νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι.* — Spes medici quasi partes agit Choeph. v. 698 sq.: ... *ἥπερ ἐν δόμοισι βακχείας καλῆς* (Herm. *ζάλης*) *Ἰατρὸς ἐλπὶς ἦν* ... — Medendi denique facultas precationibus datur fragm. 142: *εὐχαῖς δὲ σώζοις δεσπότας παιωνίοις.* Cf. Ag. v. 1198 sq.: *καὶ πῶς ἂν ὅρκου πῆγμα γενναίως παγὲν Παιώνιον γένοιτο;*.

Ignis omnium artium magister est Prom. v. 109 sqq.: *θηρῶμαι πυρὸς Πηγὴν κλοπαίαν, ἣ διδάσκαλος τέχνης Πάσης βροτοῖς πέφηνε*

καὶ μέγας πόρος.; cf. ibid. v. 7. — Promethei deinde calamitatem Oceanus tanquam magistram habet, cum eum doceat Iovis iram non esse concitandam Prom. v. 391: *ἡ σή, Προμηθεῦ, συμφορὰ διδάσκαλος.*

Reliquum est, ut imagines addamus, quibus ea, quae vita carent, vatis munere fungi videntur. In mythica notione versatur Eum. v. 1 sq., ubi terra prima tanquam vatis nobis proponitur: *πρῶτον μὲν εὐχῇ τῇδε πρεσβεύω θεῶν Τὴν πρωτόμαντιν Γαῖαν.* — Verum denique vatem Clytaemnestra timorem vocat ex somniis exortum, ubi vidit sibi ipsi Orestem mortem esse allaturum Choeph. v. 929: *ἦ κάρτα μάντις οὑξ ὀνειράτων φόβος.* Cf. eiusd. f. v. 32 sq.: *τορὸς γὰρ ὀρθόθριξ φόβος, Δόμων ὀνειρόμαντις.* (Vid. p. 10).

Caput C.

§ 6.

De conformationibus tractis a corporis humani motu et actione conscia mente effectis.

Praeponere mihi liceat nonnullas translationes, quibus ea, quae nec visu nec tactu sunt manifesta[72]), praesentia stantia sedentia effinguntur. Exempla quia per se perspicua sunt, quam brevissime afferre satis habebo, praesertim quae quin plus minus usu sint attrita et si non omnia, at certe maximam partem ex mythica opinione originem duxerint, dubitari nequeat. Iustitia Polynicis factis et consiliis quasi adest Sept. v. 662 sq.:... *ἡ Διὸς παῖς παρθένος Δίκη παρῆν Ἔργοις ἐκείνου καὶ φρεσίν.* Cf. Choeph. v. 244 sq.; Suppl. v. 1038 sqq. — Haud multum ab his locis discrepant et Pers. v. 391 sq., ubi timor praesens vocatur: *φόβος δὲ πᾶσι βαρβάροις παρῆν Γνώμης ἀποσφαλεῖσιν.*, et Sept. v. 1041, ubi fortitudini ratio consilii exsequendi adfutura videtur: *θάρσει*[73]) *παρέσται μηχανὴ δραστήριος.* — Inverso modo translatio cernitur Pers. v. 176, ubi Atossa una tanquam est cum somniis: *πολλοῖς μὲν ἀεὶ νυκτέροις ὀνείρασι Ξύνειμι.* — Saepissime deinde abstracta iam inde ab Homeri temporibus cum verbis standi aut sedendi coniunguntur. Ex Aeschylo petitae haece imagines huc pertinent: Choeph. v. 54 sqq.: *σέβας δ' ἄμαχον ἀδάματον ἀπόλεμον τὸ πρὶν Δι' ὤτων φρενός τε δαμίας περαῖνον Νῦν ἀφίσταται.*, quae verba Schuetzius (III, comm. p. 19) sic explicat: „maiestas illa regis nuper inexpugnabilis, indomita, invicta, in omnium civium auribus animisque versata, nunc recessit" et tanquam procul stat. — Verbo *ἀποστατεῖν* illustrantur *Πειθώ* fragm. 156, 4: *μόνου* (sc. *Θανάτου*) *δὲ Πειθὼ δαιμόνων ἀποστατεῖ* (cf. fragm. 287); *ἄτη* Choeph. v. 826: *ἄτα δ' ἀποστατεῖ φίλων.*; *θέμις* Eum. v. 414: *πρόσω δικαίων ἥδ' ἀποστατεῖ θέμις.*; *ἀλκή* Ag. v. 1103 sq.: *ἀλκὰ δ' ἑκὰς ἀποστατεῖ.* —

Quibuscum locis conferre iuvat Pers. v. 703: *ἀλλ' ἐπεὶ δέος παλαιὸν σοὶ φρενῶν ἀνθίσταται.* — Agam. v. 14: *φόβος γὰρ ἀνθ' ὕπνου παραστατεῖ.* — Ibid. v. 976 sq.: *δεῖμα προστατήριον καρδίας.* — Suppl. v. 342: *ἀλλ' ἡ δίκη γε ξυμμάχων παραστατεῖ.*

Sedens fingitur Fortuna Ag. v. 664: *Τύχη ... ναυστολοῦσ' ἐφέζετο* (cf. p. 23), fortitudo Ag. v. 982 sq.: *θάρσος εὐπιθὲς ἵζει Φρενὸς φίλον θρόνον* (cf. p. 21), calamitates Prom. v. 275 sq.: .. *ταὐτά τοι πλανωμένη Πρὸς ἄλλοτ' ἄλλον πημονὴ προσιζάνει* (cf. Sept. v. 696), morbi Suppl. v. 684 sq.: *νούσων δ' ἑσμὸς ἀπ' ἀστῶν Ἵζοι κρατὸς ἀτερπής* (cf. p. 55), invidia Ag. v. 834: *ἰὸς καρδίαν* (*καρδίᾳ* Casaubonus) *προσήμενος* (cf. p. 50). Denique subiungere placuit Choeph. v. 963 sq., ubi chorus Agamemnonis domum, quae calamitatibus humi quasi prostrata iacet, cohortatur, ut tandem exsurgat: *ἄναγε μὰν δόμοι· πολὺν ἄγαν χρόνον Χαμαιπετεῖς ἔκεισθ' ἀεί.* Pulcherrime conformatio iam ex ipsa domus allocutione elucet, nam persaepe poetae hoc dicendi genere utuntur, ut homines summa animi permotione depingant ita incitatos, ut res inanimas quasi vivas alloquantur participesque faciant suarum animi affectionum.

Iam vero eas translationes excutiamus, quibus concreta abstractaque conscia mente tanquam moventur vel aliquid agere videntur. Ut a verbis eundi vel veniendi proficiscamur, Antigone et Ismene fratrum mortem gravissime maerentes, prodire iubent lamentationes et lacrimas Sept. v. 964: *ἴτω γόος, ἴτω δάκρυ.* — Per metonymiam explicandi videntur Pers. v. 268 sqq.: *μάταν Τὰ πολλὰ βέλεα παμμιγῆ Γᾶς ἀπ' Ἀσίδος ἦλθ' ἐπ' αἶαν Δάαν* (Herm. Weil. Oberd. cum cod. M. *δίαν*) *Ἑλλάδα χώραν.* Etenim Persae, qui contra Graeciam profecti sunt, intellegantur necesse est. — Verbo tantum perstringam Ag. v. 253, ubi *τὸ μέλλον*, Choeph. v. 464 sq., ubi *τὸ μόρσιμον*, Sept. v. 768, ubi *τὰ ὀλοά*, Suppl. v. 469, ubi *κακῶν πλῆθος* aggrediens fingitur, quibus e locis ne unum quidem integram conformationis vim retinuisse videtur.

Magis vero haud dubie imaginis vigor servatus est Pers. v. 504 sq., ubi sol caelum pervadit: *φλέγων γὰρ αὐγαῖς λαμπρὸς ἡλίου κύκλος Μέσον πόρον διῆκε*[74]). Cf. Suppl. v. 769: *ἐς νύκτ' ἀποστείχοντος ἡλίου.* — Similem in modum fulmen describitur Prom. v. 359: *καταιβάτης κεραυνός*[75]). — Faces, quarum lucem Clytaemnestra appropinquantem vidit, ad se migrantes fingit Ag. v. 287: *πορευτοῦ λαμπάδος.* — Denique ex rebus naturae venti ad terram quasi accedunt Eum. v. 905 sq.: *κἀνέμων ἀήματα Εὐηλίως πνέοντ' ἐπιστείχειν χθόνα.* — Tabulae deinde navium Persarum fractarum, quae huc illuc ferebantur, perpulchra imagine per mare vagantes depinguntur Pers. v. 277: *πλαγκτοῖς ἐν διπλάκεσσιν.* Namque equidem cum iis facio viris

doctis, qui Stanleio auctore de navium fragmentis vocem *δίπλακα* accipiunt, quanquam alii Hermannum (II, p. 186) secuti de amplis Persarum occisorum vestibus cogitaverunt, Oberdickius vero nimis artificiose, meo quidem iudicio, hunc locum ad scopulos spectare putavit, ad quos Persarum interfectorum corpora detrusa essent[76]). — Per metonymiam, qua nullam fortasse audaciorem usquam inveneris, torus, quem custos in Agamemnonis tecto excubans modo hic modo illic locat, noctivagus vocatur traductis ad rem possessam iis, quae is, cuius est, agere solet. Exstat Ag. v. 12: *νυκτίπλαγκτον εὐνήν*, quod haud male Keckius (p. 211) convertit: „durch die nacht irrend“, et Engerus (p. 106): „nachtschweifend, nachtumhertreibend“. Quam conformationem prorsus tollit et Papius et Passowius (vid. lex.), cum uterque sensu passivo vertat: „nachtumstuermt, von nächtlichen stuermen umtobt“, cet.

Eadem fere ratione abstracta celebrantur, atque ita quidem, ut pleraeque huius generis translationes ex mythico fonte fluxisse videantur. Spei facultas adeundi ad urnam datur Ag. v. 816 sq.: *τῷ δ' ἐναντίῳ κύτει Ἐλπὶς προσῄει χειρὸς οὐ πληρουμένῳ.* Hanc enim codd. scripturam Dindorfius Ahrensius Engerus Weilius alii recte, ut equidem puto, retinuerunt. Atque meo iure Weilii ad h. l. adnotationem (edit. p. 67) exscribere mihi videor, qui dicit „se non videre, quid in librorum scriptura tantopere displiceat“[77]). Cf. eiusd. f. v. 1434: *οὔ μοι φόβου μέλαθρον ἐλπὶς ἐμπατεῖ*, si Aeschyli est haec codicum scriptura. — Pervenustam imaginem ibid. v. 1331 sqq. invenimus, ubi unumquemque chorus ait non modo non discedere Fortunam iubere, verum etiam eam cohortari, ut suum intret domicilium: *τὸ μὲν εὖ πράσσειν ἀκόρεστον ἔφυ Πᾶσι βροτοῖσιν· δακτυλοδεικτων δ' Οὔτις ἀπειπὼν εἴργει μελάθρων, Μηκέτ' ἐσέλθῃς, τάδε φωνῶν.* Cf. Choeph. v. 59 sq.: *τὸ δ' εὐτυχεῖν Τόδ' ἐν βροτοῖς θεός τε καὶ θεοῦ πλέον.* — Noctu ventitant somnia Prom. v. 657: *νυκτίφοιτ' ὀνείρατα* (Weil.: *φάσματα*, Weckl.: *δείματα*). — Similiter Choeph. v. 523 sqq.: *ἔκ τ' ὀνειράτων Καὶ νυκτιπλάγκτων δειμάτων πεπαλμένη Χοὰς ἔπεμψε τάσδε δύσθεος γυνή.* — Prom. v. 645 sqq.: *ἀεὶ γὰρ ὄψεις ἔννυχοι πωλεύμεναι Ἐς παρθενῶνας τοὺς ἐμοὺς παρηγόρουν Λείοισι μύθοις κτλ.* — Ag. v. 330: *νυκτίπλαγκτος ἐκ μάχης πόνος.* — Choeph. v. 751: *νυκτιπλάγκτων ὀρθίων κελευμάτων.* — Prom. v. 576: *ποῖ μ' ἄγουσιν ◡ — τηλέπλανοι πλάναι.*, ibid. v. 585: *πολύπλανοι πλάναι.*, v. 838: *παλιμπλάγκτοισι δρόμοις.*, quocum loco perapte Hense l. l. p. 88 comparat Pind. Pyth. 5, 31: *δρόμοι ποδαρκεῖς.* — Properat rumor Sept. v. 285 sq.: *πρὶν ἀγγέλους σπερχνούς τε καὶ ταχυρρόθους Λόγους ἱκέσθαι.* Cf. Ag. v. 485 sq.: *πιθανὸς ἄγαν ὁ θῆλυς ὅρος ἐπινέμεται Ταχύπορος.*

Nonnullae sunt metaphorae, quibus comitandi et sequendi facultas

ad abstracta[78]) transfertur. Iustitiam enim semper homini adesse, sive ab eius latere incedat sive a tergo eum sequatur, fragm. 284 exprimitur hisce: *ὁρᾷς δίκην ἄναυδον οὐχ ὁρωμένην Εὕδοντι καὶ στείχοντι καὶ καθημένῳ· Ἑξῆς δ' ὀπηδεῖ δόχμιον, ἄλλοθ' ὕστερον.* Cf. Ag. v. 854: *νίκη δ' ἐπείπερ ἕσπετ', ἐμπέδως μένοι.* — Suppl. v. 523: *πειθὼ δ' ἕποιτο καὶ τύχη πρακτήριος.* — Huc fortasse etiam pertinet Sept. v. 1022, ubi Polynicis cadaver insepultum fore praeco pronuntiat hac audacissima imagine: *καὶ μήθ' ὁμαρτεῖν τυμβοχόα χειρώματα*, i. e., ut ad verbum transferam: „nullas tumuli aggestiones manibus factas eum esse secuturas". Minime enim de libatione in tumulum effundenda, id quod Stanleio auctore Schuetzius Passowius Papius (vid. lex. s. v. *χείρωμα*) alii voluerunt, cogitandum esse, mihi quidem Blomfieldus probavit[79]) (edit. p. 166 sq.).

Iam porro adnectamus conformationes, quae res inanimas vel salientes vel saltantes exhibent. Transilit flamma campos montesque, ut Troiam esse captam Clytaemnestrae nuntiet Ag. v. 296 sqq.: *σθένουσα λαμπὰς δ' οὐδέπω μαυρουμένη, Ὑπερθοροῦσα πεδίον Ἀσωποῦ, δίκην Φαιδρᾶς σελήνης, πρὸς Κιθαιρῶνος λέπας Ἤγειρεν ἄλλην ἐκδοχὴν πομποῦ πυρός.*, quae quidem imago oblitterata videtur. — Sors e galea excussa prosilit Sept. v. 458 sq.: *τρίτῳ γὰρ Ἐτεόκλῳ τρίτος πάλος Ἐξ ὑπτίου 'πήδησεν εὐχάλκου κράνους.* — Rumorem a feminis disseminatum dispersumque Aegisthus describit hisce: *πρὸς γυναικῶν δειματούμενοι λόγοι Πεδάρσιοι θρώσκουσι* (cf. p. 26). — Saltantes pinguntur procellae, quae omnia miscent Prom. v. 1085 sqq.: *σκιρτᾷ δ' ἀνέμων Πνεύματα πάντων εἰς ἄλληλα Στάσιν ἀντίπνουν ἀποδεικνύμενα.* — De Choeph. v. 167 et v. 1024 sq. cfs., quae p. 19 disputavimus.

Iam vero quoniam translationes protulimus sic natas, ut concreta abstractaque praecipue pedibus utantur, ut moveantur vel aliquid agant, ad eas nos convertamus imagines, quibus ea, quae vita carent, manibus aliisve membris humanis instructa ad rem aliquam efficiendam accedere videntur. Cum vero quas huc referemus conformationes difficillimum sit certo quodam ordine componere, veniam nobis petimus, si minus id ex sententia contigerit. — Metus (sc. naufragii) partem opum manibus quasi proicit, ut navem servet vado illisam Ag. v. 1008 sq.: *καὶ τὸ μὲν πρὸ χρημάτων Κτησίων ὄκνος βαλὼν κτλ.*[80]). Navis, quae mari procellis turbato vix promovetur, omni ope atque opera tanquam enititur, ut fluctus superet velut homo adverso flumine natans Sept. v. 210: *νεὼς καμούσης ποντίῳ πρὸς κύματι.* — Chorus Oceani filiarum, qui postquam de curru alato descendit, in scaenam prodiit, Prometheo vincto dicit alas currus quasi inter se certasse, ut quam celerrime ipsas afferrent Prom. v. 128 sqq.: *ἥδε τάξις Πτερύγων θοαῖς ἁμίλλαις Προσέβα τόνδε πάγον*[81]). —

Persarum classem quomodo naves Graecorum haud imprudenter demerserint velut pugiles, qui adversarium feriunt contunduntque, nuntius narrat hisce Pers. v. 417 sq.: *Ἑλληνικαί τε νῆες οὐκ ἀφρασμόνως Κύκλῳ πέριξ ἔθεινον*[82]). Sicut vero hoc loco ipsi Graeci subaudiendi sunt, ita homines intellegantur necesse est his locis: Choeph. v. 639 sq.: *ξίφος Διανταίαν ὀξυπευκὲς οὐτᾷ* . . .; ibid. v. 860: *κοπάνων ἀνδροδαΐκτων* . . .; v. 889: *ἀνδροκμῆτα πέλεκυν* . . .; Ag. v. 1129: *δολοφόνου λέβητος τύχαν* (Weil. *τέχναν*) *σοι λέγω* . . .; Choeph. v. 1015: *πατροκτόνον θ' ὕφασμα προσφωνῶν τόδε* . . .; Pers. v. 278: *οὐδὲν γὰρ ἤρκει τόξα* . . .; Sept. v. 216: *πύργον στέγειν εὔχεσθε πολέμιον δόρυ* . . .; ibid. v. 234: *δυσμενέων δ' ὄχλον πύργος ἀποστέγει*..., alia. Saepissime enim apud poetas haec ratio cernitur, ut rebus arte confectis ea attribuantur, quae de hominibus, qui iis utuntur, proprie valent. Quid multa? omnes huiusmodi translationes enucleari possunt per metonymiam.

Auxiliandi notio ad terram transducitur. Chorus enim summa cum animi commotione eam adhortatur, ut auxilio adiuvet Orestem Choeph. v. 722 sqq.: *ὦ πότνια χθὼν καὶ πότνι' ἀκτὴ χώματος* . . . *νῦν ἐπάρηξον*. Cf. Sept. v. 69 sqq.: *καὶ Γῆ* . . . *'Αρά τ' 'Ερινὺς πατρὸς ἡ μεγασθενὴς* . . . *γένεσθε δ' ἀλκή*.

Pessumdandi vel interficiendi facultas praeterea tribuitur Marathoni. Etenim Persae, qui pugna apud Marathonem facta occisi sunt, ab ipso loco perditi finguntur Pers. v. 474 sq.: *οὐκ ἀπήρκεσαν, Οὓς πρόσθε Μαραθὼν βαρβάρων ἀπώλεσεν*. — Hiems, quippe cuius frigore aves nonnunquam pereant, avium vocatur interfectrix Ag. v. 563: *χειμῶνα* . . . *οἰωνοκτόνον*. — Discordia Oedipi filios exitio tradit Sept. v. 726: *παιδολέτωρ δ' ἔρις ἅδ' ὀτρύνει*.

Venatur *ἄτη* Prom. v. 1072 sq.: *μηδὲ πρὸς ἄτης θηραθεῖσαι Μέμψησθε τύχην*. Quibus verbis Mercurius Oceani filias cohortatur, ut discedant, ne perniciei retibus captae una cum Prometheo pessumdentur.

Restat, ut eas imagines perlustremus, quibus vincendi et dominandi notio metaphorice usurpatur. Quae huic § inserendae visae sunt, quanquam in proxima quoque § locum iis dari licuit. Namque in singulis translationibus vix diiudicari potest, utrum corporis humani facultates magis appareant concretis abstractisque impertitae an ea, quae ad mentem spectant. Ac leviter tantum eas, quae huc pertinent, conformationes attingere satis duxi, quia et per se plane dilucidae et omnes fere admodum oblitteratae videntur. — Iustitia victoriam affert Choeph. v. 148: *δίκῃ νικηφόρῳ*. — *Ἄτη* etiam caelum vincit Suppl. v. 165: *ἄταν οὐρανόνικον*. — Vincentes porro effinguntur: *ἔρις, ἔρως, φόβος, πόνος, ὕπνος* aliae notiones: Eum. v. 974 sq.:

νικᾷ δ' ἀγαθῶν Ἔρις ἡμετέρα διὰ παντός. — Choeph. v. 600 sq.: *θηλυκρατὴς ἀπέρωτος ἔρως παρανικᾷ Κνωδάλων τε καὶ βροτῶν* (Weil. *στρόβων*). — Eum. v. 88: *μέμνησο, μὴ φόβος σὲ νικάτω φρένας.* Cf. Choeph. v. 1052. — Eum. v. 133: *ἀνίστω, μή σε νικάτω πόνος.* — Ag. v. 912 sq.: *τὰ δ' ἄλλα φροντὶς οὐχ ὕπνῳ νικωμένη Θήσει δικαίως κτλ.* Cf. eiusd. f. v. 290. — Eum. v. 148: *ὕπνῳ κρατηθεῖσ' ἄγραν ὤλεσα.* Vid. ibid. v. 141; Hom. Il. 24, 5: *πανδαμάτωρ ὕπνος.* — Ac dominantur *βύβλος, λόγχη, δίκη, βλάβα, λόγος, κέαρ*: Suppl. v. 761: *βύβλου δὲ καρπὸς οὐ κρατεῖ στάχυν* i. e. Aegypti filii imperium non habebunt in Danai stirpem. Quae verba proverbii locum obtinere videntur[83]). — Pers. v. 148 sq.: *ἢ . . . λόγχης ἰσχὺς κεκράτηκεν* (cf. § 1, p. 9). — Eum. v. 491 sq.: *εἰ κρατήσει δίκα τε καὶ βλάβα Τοῦδε ματροκτόνου.* — Pers. v. 738: *λόγος κρατεῖ σαφηνής.* Cf. Suppl. v. 294. — Ag. v. 10 sq.: *ὧδε γὰρ κρατεῖ Γυναικὸς ἀνδρόβουλον ἐλπίζον κέαρ* (cf. Eum. v. 529).

Iam iis prolatis translationibus, quibus Aeschylus concretis abstractisque praecipue corpus humanum dedit, ad eas, ut propositum est, conformationes transeamus, quae res vita carentes quasi animo induere videntur. Quibus in excutiendis e re esse mihi videtur, ut eas imagines, quibus quae mentis sunt translate ponuntur, disiungamus ab iis, quae animi motiones affectionesque metaphorice perhibent. Disseramus igitur

Caput D.

De translationibus e mente animoque humano haustis.

§ 7.

De conformationibus e mentis facultatibus actionibusque captis.

Incipiendum videtur ab iis imaginibus, quibus passive, ut ita dicam, ad res inanimas mens transfertur. Haud raro enim poetae homines commotos perturbatosque ita inducunt, ut etiam ea, quae vita carent, appellent vel implorent quasi vitā induta, atque ita quidem, ut illa tanquam aures iis dare animumque attendere videantur. Sic Danai filiae solem precibus invocant, ut auxilio se adiuvet contra Aegypti filios Suppl. v. 213: *καλοῦμεν αὐγὰς ἡλίου σωτηρίους.* Cf. Ag. v. 1323 sqq. — Simili modo Orestes a terra petit, ut patrem sibi reddat Choeph. v. 489: *ὦ γαῖ', ἄνες μοι πατέρα ἐποπτεῦσαι μάχην.* Cf. v. 540 sq. — Prometheus vinctus solem terram, ventos aëra mare flumina vocat, ut videant, quanta sibi mala sint ferenda Prom. v. 88 sqq. (cf. § 1, p. 11). — Praeter deos patriam terram Agamemnonis domum alia salutat praeco Troia reversus Ag. v. 503 sqq.

— Pariter ipse Agamemnon Argos alloquitur (ibid. v. 810). — Non modo Iovem et Neptunum, verum etiam Plisti fontes implorat Pythia Eum. v. 27 sq.: *Πλειστοῦ τε πηγὰς . . . καλοῦσα.* Cf. Sept. v. 273; Ag. v. 1157. — Etiam Orci portas Cassandra alloquitur peritura Ag. v. 1291: *Ἅιδου πύλας δὲ τάσδ' ἐγὼ προσεννέπω· Ἐπεύχομαι δέ . . .* Cf. Choeph. v. 655. — Sed quid multa? exemplorum huiusmodi numerum facillime, qui volet, ipse augere poterit.

Deinde haud scio an item passive abstractis nonnullis facultates quaedam mentis tribuantur translationibus voce *σαίνειν* effictis. Quod verbum cum proprie de canibus dicatur, qui cauda blandiuntur[84]), Aeschylus ita usurpat, quasi homines mentis notiones adulentur. Sic Tydeus Oeclidam illudit, quod mortem, ne ipsum rapiat, blandiendo tanquam avertat Sept. v. 383: *σαίνειν μόρον τε καὶ μάχην ἀψυχίᾳ*[85]). Scilicet haec verba de eo sunt intellegenda, qui pugnae pericula extimescit, pariter atque eiusd. f. v. 704, ubi Eteocles cum Polynice fratre decertaturus choro dicit: *τί οὖν ἔτ' ἂν σαίνοιμεν ὀλέθριον μόρον;* cf. Ag. v. 726.

Quemadmodum his locis ea, quae a sensibus sevocata sunt, ab hominibus quasi blanditiis afficiuntur, sic homines tanquam adulantur et *ἄτη* Pers. v. 96 sqq. (vid. p. 43) et *ἐλπίς* Choeph. v. 194: *σαίνομαι δ' ὑπ' ἐλπίδος.* Sunt autem hoc loco verba Electrae, quae ubi cincinnum in patris tumulo invenit, a spe, ait, se quasi deleniri, ut ab Oreste credat crinem illum esse depositum.

Hinc iam ad eas imagines transducimur, quibus quodammodo active concretis abstractisque ea, quae mentis propria sunt, impertiuntur. Ita permultae res loquendi facultate praeditae finguntur. Nobilissimo illo carmine, quod sepulcro suo Aeschylus inscribi iussisse fertur, nemus Marathonium quasi praedicat, quanta cum fortitudine ipse contra Persas pugnaverit: *ἀλκὴν δ' εὐδόκιμον Μαραθώνιον ἄλσος ἂν εἴποι* (fragm. 450). — Pulcherrime Persarum tumuli illustrantur Pers. v. 818 sqq.: *θῖνες νεκρῶν δὲ καὶ τριτοσπόρῳ γονῇ Ἄφωνα σημανοῦσιν ὄμμασιν βροτῶν Ὡς οὐχ ὑπέρφευ θνητὸν ὄντα χρὴ φρονεῖν.* — Quercus Dodonaeae, e quibus Iovem oracula edere Graeci credebant foliis strepentibus, ipsae loquuntur Prom. v. 832 sqq.: *αἵ προσήγοροι δρύες*[86]), *Ὑφ' ὧν σὺ λαμπρῶς κοὐδὲν αἰνικτηρίως Προσηγορεύθης ἡ Διὸς κλεινὴ δάμαρ.* — Ignes quasi nuntii expugnationem Troiae indicant Ag. v. 588 sq.: *ὁ πρῶτος νύχιος ἄγγελος πυρός, Φράζων ἅλωσιν Ἰλίου τ' ἀνάστασιν.* Quocum loco fere consentiunt eiusd. f. v. 21, v. 30, v. 480 (cf. p. 36). — Oleum, quod libo superfunditur, quo facilius incendatur, blande quasi ignem cohortatur, ut exardescat Ag. v. 92 sqq.: *ἄλλη δ' ἄλλοθεν οὐρανομήκης Λαμπὰς ἀνίσχει, Φαρμασσομένη χρίματος ἁγνοῦ Μαλακαῖς ἀδόλοισι*

παρηγορίαις Πελάνῳ μυχόθεν βασιλείῳ[87]). — Ac cincinnum, quem Orestes patris in tumulo deposuerat, Electra voce praeditum esse cupit, ut nuntii instar loqui possit Choeph. v. 195: εἴθ' εἶχε φωνὴν ἔμφρον' ἀγγέλου δίκην (sc. πλόκος), cuius imaginis vis etiam augetur adiectivo ἔμφρον'[88]), quo φωνή illustratur.

Similibus conformationibus poeta res effert manu hominum effectas. Nam Agamemnonis domum extollit hunc in modum: οἶκος δ' αὐτός, εἰ φθογγὴν λάβοι, Σαφέστατ' ἂν λέξειεν (Ag. v. 37 sq.). — Huc fragm. 19 quoque pertinet: ποῦ δ' ἐστὶν Ἀργοῦς ἱρὸν αὐδῆεν ξύλον;[89]), si cum Dindorfio emendationem Bergkii pro trad. v. αὔδασον accipimus. — Porro vox datur tubae Pers. v. 395: σάλπιγξ δ' ἀϋτῇ πάντ' ἐκεῖν' ἐπέφλεγεν., cf. Sept. v. 394: βοῇ σάλπιγγος.; tintinnabulo Sept. v. 386: χαλκήλατοι κλάζουσι κώδωνες φόβον.; frenis Sept. v. 123: μινύρονται[90]) φόνον χαλινοί.; rotarum modiolis Suppl. v. 181: σύριγγες οὐ σιγῶσιν ἀξονήλατοι cf. Sept. v. 205. — Textile illud, quo impeditus Agamemnon periit, Oresti tanquam testatur Aegisthi gladio illum esse percussum Choeph. v. 1010 sq.: μαρτυρεῖ δέ μοι Φᾶρος τόδ', ὡς ἔβαψεν Αἰγίσθου ξίφος. — Atque Agamemnonis sceptrum civibus quasi persuasit, ut sibi parerent Choeph. v. 362: πεισιβρότῳ βάκτρῳ.; quocum loco fere convenit Pers. v. 764: ἔχοντα σκῆπτρον εὐθυντήριον.

Eadem fere ratione etiam ea celebrantur, quae ab oculorum consuetudine abducta sunt. Ipsum tempus omnia docet Prom. v. 981: ἀλλ' ἐκδιδάσκει πάνθ' ὁ γηράσκων χρόνος (cf. § 3, p. 25). — Praeclara translatione Iustitia exornatur Choeph. v. 310 sqq.: τοὐφειλόμενον Πράσσουσα Δίκη μέγ' ἀϋτεῖ· Ἀντὶ δὲ πληγῆς φονίας φονίαν Πληγὴν τινέτω. δράσαντι παθεῖν, Τριγέρων μῦθος τάδε φωνεῖ (cf. p. 25). — E mythica quadam opinione item profecta esse videntur quae leguntur et Pers. v. 518 sq., ubi somnia tanquam mala aperiunt: ὦ νυκτὸς ὄψις ἐμφανὴς ἐνυπνίων, Ὡς κάρτα μοι σαφῶς ἐδήλωσας κακά . . . et Ag. v. 274, ubi facile Clytaemnestrae persuadentia describuntur: πότερα δ' ὀνείρων φάσματ' εὐπιθῆ σέβεις;. — Praeterea hic afferendi sunt hi loci: fragm. 155: οὑμὸς δὲ πότμος οὐρανῷ κυρῶν ἄνω Ἔραζε πίπτει καί με προσφωνεῖ τάδε· Γίγνωσκε τἀνθρώπεια μὴ σέβειν ἄγαν. — Choeph. v. 402: βοᾷ γὰρ λοιγὸς Ἐρίνυν. — Eum. v. 935 sqq.: σιγῶν δ' ὄλεθρος Καὶ μέγα φωνοῦντ' Ἐχθραῖς ὀργαῖς ἀμαθύνει. — Prom. v. 360; Pers. v. 605 sq., v. 936; Choeph. v. 269 sq.; Ag. v. 56 sq., v. 883, v. 1155, v. 1409. — Animus quasi canit cantum lugubrem Ag. v. 990 sq.: τὸν δ' ἄνευ λύρας ὅμως ὑμνῳδεῖ Θρῆνον Ἐρινύος αὐτοδίδακτος ἔσωθεν Θυμός. — Denique quae sint futura, cantus praedicit iniussus gratuitusque Ag. v. 979: μαντιπολεῖ δ' ἀκέλευστος ἄμισθος ἀοιδά. In hisce quidem exemplis

imaginis vis, etsi paucis locis modo maior modo minor elucet, plerisque tamen prorsus evanuit.

Age vero videamus, quaenam aliae mentis facultates praeter sermonis usum ad ea, quae vita carent, translatae sint. Id unum Graeciam conicere posse ait Pelasgus rex, ubi primum Danai vidit filias peregrinum in modum ornatas, supplices illas advenisse Suppl. v. 243: *μόνον τόδ' Ἑλλὰς χθὼν συνοίσεται στόχῳ.* Scilicet metonymiā explicandus est hic locus, ita ut ipsi Graeci intellegantur. — Sol si modo Menelaum adhuc vivum exquisiverit, spem esse domum illum rediturum praeco dicit Ag. v. 676 sqq.: *εἰ δ' οὖν τις ἀκτὶς ἡλίου νιν ἱστορεῖ Χλωρόν τε καὶ βλέποντα, . . . ἐλπίς τις αὐτὸν πρὸς δόμους ἥξειν πάλιν.* — Etiam sciendi et recordandi notio metaphorice adhibetur. Multorum facinorum Agamemnonis domum esse consciam Cassandra ait Ag. v. 1090 sq.: *πολλὰ συνίστορα* (sc. *στέγην*) . . . *κακά.* Cf. eiusd. f. 962: *πένεσθαι δ' οὐκ ἐπίσταται δόμος.* — De Prom. v. 789 vid. § 2, p. 23. — Memores finguntur *μῆνις, πόνος, χάρις*: Ag. v. 153 sqq.: *μίμνει γὰρ φοβερὰ παλίνορτος Οἰκονόμος δολία μνάμων μῆνις τεκνόποινος*[91]). Cf. Verg. Aen. 1, 4: memor ira; Prom. v. 516: *μνήμονες Ἐρινύες.* Eum. v. 383. — Malorum aerumna est memor Ag. v. 180: *μνησιπήμων πόνος.* Cf. eiusd. f. v. 821: *χρὴ πολύμνηστον χάριν τίνειν.*

Restat, ut eas addamus conformationes, quae compositis verborum *φρήν* et *μῆτις* effictae sunt, quibus nihil fere sublimius ab Aeschylo excogitatum esse videtur. Atque omnes huiusmodi translationes ut audacia fortasse superantur iis, quae Suppl. v. 795 sq. exstant, sic ea qui legit recteque percipit, certe facere non potest, quin prorsus admiratione auferatur. Verba haec sunt: *λισσὰς αἰγίλιψ ἀπρόσδεικτος οἰόφρων κρεμὰς γυπιὰς πέτρα.* Erant quidem critici quidam *χαμαίζηλοι*, ut Hermanni verbis utar (II, p. 40), quorum captum divina illa immensae altitudinis descriptio ita excederet, ut alius in aliam incideret coniecturam. Atque vocis *οἰόφρων* interpretationem admodum perversam lexica Passowii et Papii exhibere mihi videntur, quorum ille h. v. convertit: „eigensinnig, ueberhaupt einsam", hic pariter „eigensinnig" interpretatus addit scripturam valde dubiam videri, namque hoc loco vocabulum desiderari, quod „allein, einsam" significet. Quare *οἰοπροκρεμάς* scribendum proponit. At quid si omnia recte sese habent? Etenim vertendum est: „einsam sinnend". Etiam Dindorfius, quanquam sensum, qui subest, fere reddit, cum „solitarius" vertat, imaginem tamen plane tollit. Immo vero rupem depingit poeta tam praeruptam, tam altam, tam ab omnibus animalibus desertam exceptis vulturibus, ut solitaria vêlut homo secum esse meditans videatur[92]). Ut igitur rupes mente quasi prae-

dita est, sic subsequentibus verbis elegantissime testificandi facultas ei attribuitur: *βαθὺ πτῶμα μαρτυροῦσα μοι.* Affirmant enim virgines se potius ex illa rupe sese deiecturas esse quam patruelibus nupturas. Rupem vero testem fore sese esse praecipitatas. — Breviter eos locos adiungo, quibus similem in modum abstracta illustrantur: Ag. v. 700 sq.: *τελεσσίφρων μῆνις.* — Choeph. v. 947: *δολιόφρων ποινά.* Cf. ibid. v. 651. — Sept. v. 899: *διχόφρονι πότμῳ.* — Prom. v. 762: *κενοφρόνων βουλευμάτων* cf. Pers. v. 142. — Suppl. v. 700: *εὐκοινόμητις ἀρχά.* — Pers. v. 93: *δολόμητιν ἀπάταν.* Cf. Choeph. v. 726; Ag. v. 1495, v. 1523. Quarum translationum permultas sermone esse attritas vix est quod moneam. — Extremum est, ut magnificentissimam proferam conformationem insaniam efferentem. Obvia est Ag. v. 222 sqq.: *βροτοὺς θρασύνει γὰρ αἰσχρόμητις Τάλαινα παρακοπὰ Πρωτοπήμων.*

§ 8.
De conformationibus de animi qualitatibus affectionibus commotionibus sumptis.

Quamvis varia ea sint, quibus animus humanus affici ac moveri solet, sive laetitia tristitia, sive amore odio, sive quovis alio impetu, tamen omnia fere poetae apta visa sunt, quibus res illustraret inanimas. Ut exordiar a gaudendi notione, praeco admodum laetus, quod tandem Troia redierit, gaudium suum ad solem terram patriam alia transfert, quae salutando quodammodo cohortetur, ut secum laetentur, Ag. v. 508 sqq.: *νῦν χαῖρε μὲν χθών, χαῖρε δ' ἡλίου φάος κτλ.* — Eadem pingendi ratione poeta usus est eiusd. f. v. 22: *ὦ χαῖρε λαμπτὴρ νυκτός.* — Laetitia quasi terra exsultavit, simulatque Io partu edidit Herculem Suppl. v. 584: *ἔνθεν πᾶσα βοᾷ χθὼν*[93]) *κτλ.* Quocum loco Hense l. l. a. 1877. edit. p. 5 comparat Verg. Ecl. 5, 62: ipsi laetitia voces ad sidera iactant Intonsi montes. — Perpulchram translationem ab agricultura Aeschylus duxit, cum Clytaemnestram, eius gaudium ex Agamemnonis caede captum ut significet, non minus laetam fuisse dicat quam segetem, quae germinibus nascentibus delectetur pluvia Ag. v. 1391 sq.: *χαίρουσαν οὐδὲν ἧσσον ἢ διοσδότῳ Γάνει σπορητὸς κάλυκος ἐν λοχεύμασιν.* Sic enim, ut exposui, cum Passowio Engero aliis vocabulum *κάλυξ* interpretor, atque haud scio an minus accurate Dindorfius „spica“ converterit (vid. lex.). Etenim ego equidem nec ullum in lexicis locum invenire potui, ubi *κάλυξ* ipsam spicam significet — quanquam de spicarum folliculis usurpatur — et hoc quidem loco germinis notio multo esse aptior videtur, quia ex agricolarum sententia seges non tam tepidam desiderat pluviam, cum spicas concipit quam cum germina nascuntur. Cuius

rei etiam Aeschylum haud ignarum fuisse mihi quidem verisimile videtur, quippe qui non paucas metaphoras ab agrorum cultura accuratissime cognita mutuatus sit[94]). — Etiam ignibus Troiae expugnatio quasi gaudio est, ita ut laeti libentesque, non *πρὸς βίαν*, Clytaemnestrae nuntium perferre videantur Ag. v. 287 sqq.: *ἰσχὺς πορευτοῦ λαμπάδος πρὸς ἡδονὴν Ἐπέσυτο*[95]) *χρυσοφεγγὲς ὥς τις ἥλιος Σέλας παραγγείλασα, Μακίστου σκοπάς· ὁ δ' οὔτι μέλλων κτλ.* Optime sublimem hanc imaginem Keckius sic reddidit: „die kraft der wanderflamme, ja! mit voller lust Flog sie, den goldglanz einer tagessonne gleich Schnell weiter tragend, nach Makistos' warten hin.“ Itaque etsi coniecturas ad h. l. prolatas mitto, quas nihil fere referat hic perscrutari — hunc enim locum aliqua ex parte esse corruptum omnes fere recentiores editores consentiunt — minime tamen possum non vituperare Pearsoni Passowii Engeri scripturam, qua traditam „*πρὸς ἡδονήν*“ in „*πρὸς ἐκδοχήν*“ mutaverunt. Etenim si nobiscum consideramus Clytaemnestram admodum laetam commotamque per totam narrationem inde a v. 281 usque ad v. 316 et montes praeclaris conformationibus vita quasi humana induere et ignes, numquid mirum, quod his etiam suum impertit gaudium? At illa coniectura recepta nonne omnia paene frigere videntur translationis quidem vi plane deleta? Atque nullo denique pacto cum Weilio facere possum, qui Hermanni scripturam *σκοπῷ* (pro vulg. *σκοπαῖς* vel *σκοπάς*) ita defendere sibi videtur, ut „montem somno victum ne Aeschylum quidem dixisse“ adnotet (p. 17). Atenim qua tandem de causa Aeschylo non licuit in hoc verborum connexu illa metaphora uti? An vero aliae nonnullae conformationes ab eo fictae minus audacia exsultant? Immo mihi quidem mons somno captus in imaginandi vigore, ut ita dicam, propemodum cedere videtur rupi illi, quae solitaria secum meditans depingitur (vid. p. 45). — Ipse deinde angulus divitiis conditis tanquam laetatur Choeph. v. 801: *πλουτογαθῆ μυχόν*. Falso mea quidem sententia et Passowius et Papius vocem *πλουτογαθής* interpretantur: „durch reichthum erfreuend“, debebant interpretari: „durch reichthum erfreut, sich freuend am reichthum“, cum *γήθειν* vel *γηθεῖν*, utpote quod sit verbum reflexivum, nunquam, quod sciam, transitive adhibeatur, ita ut sit „alios gaudio afficiens“.

Etiam abstractis eatenus gaudium tribuitur, ut ea perinde ac concreta verbo *χαίρειν* et salvere et valere iubeantur. Sic praeco omnibus quas Graeci acceperint calamitatibus multam salutem dicit Ag. v. 572: *καὶ πολλὰ χαίρειν συμφορὰς*[96]) *καταξιῶ*. Cf. ibid. v. 250 sq.; Eurip. Herc. fur. v. 575: *χαιρόντων πόνοι*.

Haud alienum esse videtur hic eas quoque metaphoras subiun-

gere, quae res inanimas quasi ridentes exhibent. Mare igitur tranquillum solis plenum parvulis undis succrispum tam laetam praebet speciem, ut risum edere vel potius renidere videatur Prom. v. 90: *ποντίων κυμάτων ἀνήριθμον γέλασμα*[97]). — Sanguinis odor, qui Furiarum naribus afflatur, iis arridens fingitur Eum. v. 254: *ὀσμὴ βροτείων αἱμάτων με προσγελᾷ.*

Gaudium vero iis, quae sunt inanimata, datum in summam laetitiam vel etiam in furorem vertitur fragm. 64, ubi primus Bacchi accessus describitur hisce: *ἐνθουσιᾷ δὴ δῶμα, βακχεύει στέγη.*

Res autem inanimae mentisque notiones ut quasi gaudent, sic quoque lugere videntur. Mare et flumina maerore afflicta sunt, cum miserrimum Atlantem videant sub ingenti onere caeli a Iove ei impositi ingemiscentem Prom. v. 431 sqq.: *βοᾷ δὲ πόντιος κλύδων Συμπίτνων, στένει βυθός, Κελαινὸς Ἄϊδος δ' ὑποβρέμει μυχὸς γᾶς, Παγαί θ' ἁγνορύτων ποταμῶν στένουσιν ἄλγος οἰκτρόν.* — Promethei calamitatem terra deplorat Prom. v. 406: *πρόπασα δ' ἤδη στονόεν λέλακε χώρα.* — Ac tota Asia in summos incidit luctus, quod tot Persae interierint Pers. v. 548 sq.: *ἦ γὰρ πρόπασα μὲν στένει Γαῖ' Ἀσιὰς ἐκκενουμένα.* Cf. Pers. v. 61 sq., v. 922, v. 682 sq., v. 730; Ag. v. 545, v. 1106; Sept. v. 330, v. 247, v. 901; Pers. v. 579; alios locos, quos omnes metonymiam[98]) sequi facile conceditur. — Nec diversa ratione abstracta mihi videntur illustrari Choeph. v. 335; Eum. v. 380; Prom. v. 412.

Infelix vocatur et litus Salamis insulae Pers. v. 953: *δυσδαίμονα ἀκτάν* et focus Agamemnonis domus Choeph. v. 49: *ἰὼ πάνοιζυς ἑστία.* — Ac luctus tanquam patitur vel perfert mala Ag. v. 430: *πένθεια τλησικάρδιος*[99]), siquidem genuina est haec scriptura.

Iam transeamus ad eas imagines, quibus amoris notio metaphorice ponitur. Venustissima huiusmodi allegoria, qua caelum terrae maritus effingitur, fragm. 41 exstat, quod quia elegantissime conformatio usque ad finem perducta est, totum afferendum videtur. Verba igitur, quibus Venus, quid possit declarat, haec sunt: *Ἐρᾷ μὲν ἁγνὸς οὐρανὸς τρῶσαι χθόνα, Ἔρως δὲ γαῖαν λαμβάνει γάμου τυχεῖν· Ὄμβρος δ' ἀπ' εὐνάεντος οὐρανοῦ πεσὼν Ἔκυσε γαῖαν· ἡ δὲ τίκτεται βροτοῖς Μήλων τε βοσκὰς καὶ βίον Δημήτριον· Δενδρῶτις ὥρα δ' ἐκ νοτίζοντος γάμου Τέλειός ἐστι. τῶν δ' ἐγὼ παραίτιος.* — Agros incolis frequentes Aeschylus ita depingit, quasi viros ament Sept. v. 902: *πέδον φίλανδρον.* — Eadem fere fingendi ratione et saxum, quod avibus refugium praebet, avium amans vocatur Eum. v. 22 sq.: *Κωρυκὶς πέτρα . . . φίλορνις . . .* et *φιλόξενος* Agamemnonis domus, quam hospites frequentare solebant Choeph. v. 656. Cf. eiusd. f. v. 712; Suppl. v. 926. — Quin etiam temporis notiones res-

que a sensibus sevocatae verbo *φιλεῖν* eiusve compositis illustrantur. Sufficere mihi videtur nuda proferre exempla: Suppl. v. 769 sq.: *φιλεῖ Ὠδῖνα τίκτειν νὺξ κυβερνήτῃ σοφῷ*[100]). — Ag. v. 763 sqq.: *φιλεῖ δὲ τίκτειν ὕβρις κτλ.* (cf. § 3, p. 24). — Sept. v. 45: *φιλαίματον Φόβον*[101]). — Pers. v. 136: *πόθῳ φιλάνορι.* Cf. Ag. v. 411, v. 856; Prom. v. 11, v. 28. — Sept. v. 179: *φιλοθύτων ὀργίων.* — Choeph. v. 292: *φιλοσπόνδου λιβός.* — Suppl. v. 697: *φάμα φιλοφόρμιγξ.* — Sept. v. 127: *φιλόμαχον κράτος.* — Eum. v. 985: *κοινοφιλεῖ διανοίᾳ.* — Suppl. v. 803: *φιλαιάκτων*[102]) *κακῶν.* — Sept. 918: *γόος ... δαΐόφρων, οὐ φιλογαθής.*

Adicio conformationes, quibus benevolentiae notio translate usurpata est. Lucem eius diei, quo Agamemnon occisus est, Aegisthus appellat sibi benevolam eaque de causa gratam Ag. v. 1577: *ὦ φέγγος εὖφρον ἡμέρας δικηφόρου.* — Nullam sibi terram Argis benevolentiorem esse Danai filiae aiunt Suppl. v. 20 sq.: *τίν' ἂν οὖν χώραν εὔφρονα μᾶλλον Τῆσδ' ἀφικοίμεθα.* — Similiter Sept. v. 17: *εὐμενεῖ πέδῳ.* Suppl. v. 972: *τόπος εὔφρων.* — Sperchius fluvius campos irrigat fluctibus quasi benignis, quippe quibus fecundos reddat Pers. v. 487: *Σπερχειὸς ἄρδει πεδίον εὐμενεῖ ποτῷ.* — Haud raro noctem per *εὐφημισμόν*, quem vocant grammatici, et alii poetae *εὐφρόνην* appellant et Aeschylus Prom. v. 655; Pers. v. 180, aliis locis, quia tenebris nocturnis horribile quoddam ac funestum inesse veteres credebant. — Pervenustis huiusmodi translationibus mentis quoque notiones extolluntur. Praeclare poeta describit, quomodo *Ἄτη* blanda comitate homines in retia sua illiciat Pers. v. 97: *φιλόφρων γὰρ παρασαίνει βροτὸν εἰς ἄρκυας Ἄτα* (cf. § 7, p. 43). — Benevolus labor est iis, qui bene eum perfecerint Ag. v. 806: *εὔφρων πόνος εὖ τελέσασι.* Qua Hensii interpretatione (l. l. a. 1874 ed. p. 5), ut equidem censeo, haec verba optime explanata sunt, cum Hermannus Dindorfius Schneidewinus sententiam spectantes vocem *εὔφρων* „gratus, acceptus“ exponant, Weilius vero et Keckius adeo in vulgata illa scriptura haesitarint, ut hic „*ὄντως*“, ille Engero probante „*πνόος*“ pro „*πόνος*“ scribi malit. Attamen vereor, ne imbrem in cribrum ingesserint viri docti, utpote cum tradita verba bene intellegi posse videantur. — Simili modo expediuntur hi loci admodum attenuati: Suppl. v. 640, v. 1035, v. 1067; Sept. v. 268; Ag. v. 797; Eum. v. 1030, v. 1034.

Etiam inimicitias vel inter se vel cum hominibus quasi gerunt ea, quae sensibus carent, odio tenentur, iracundia ardent. Inimica vocatur terra Troiana Graecis occisis ibique sepultis Ag. v. 455: *ἐχθρὰ* (sc. *γῆ*) *δ' ἔχοντας ἔκρυψεν*, quod non sine acerbitate quadam dictum est. — Gravissimas inter se simultates exercent ignis et aqua Ag. v. 650: *ὄντες ἔχθιστοι . . . πῦρ καὶ θάλασσα* (cf. § 5, p. 35). —

De Prom. v. 727 vid. § 5, p. 30. — Nec minus fere alterum alteri infesta videntur acetum et oleum idem in vas infusa Ag. v. 322 sq.: ὄξος τ' ἄλειφά τ' ἐγχέας ταὐτῷ κύτει Διχοστατοῦντ' ἄν, οὐ φίλω, προσεννέποις. — Ex rebus arte effectis inimicus fingitur lectus Thyesti adultero Ag. v. 1193: εὐνὰς ἀδελφοῦ τῷ πατοῦντι δυσμενεῖς.

Iniquissimam Persis fuisse fortunam Atossa queritur Pers. v. 438: καὶ τίς γένοιτ' ἂν τῆσδ' ἔτ' ἐχθίων τύχη; — Malevola pingitur invidia Ag. v. 834 sq.: δύσφρων γὰρ ἰὸς καρδίαν προσήμενος Ἄχθος διπλοΐζει τῷ πεπαμένῳ νόσον (cf. § 6, p. 38). — Ac lamentatio adumbratur hunc in modum: δαϊκτὴρ γόος αὐτόστονος, αὐτοπήμων, δαϊόφρων κτλ. (Sept. 916 sq. vid. p. 49.).

Iracundia tanquam incensae sunt procellae Choeph. v. 592 sq.: ἀνεμοέντων Αἰγίδων φράσαι κότον. — Iram dimittunt venti Thracii Iphigeniae immolatione permulsi Ag. v. 1417 sq.: ἔθυσεν αὐτοῦ παῖδα . . . ἐπῳδὸν Θρηκίων ἀημάτων. — Verbo μαίνεσθαι aether illustratur Sept. v. 155: δορυτίνακτος αἰθὴρ ἐπιμαίνεται. — Huc praeterea pertinet Ag. v. 822: πάγας ὑπερκότους i. e. iracunda retia, siquidem recte se habet Hermanni Weilii Engeri scriptura, id quod negantes nonnulli viri docti alius aliam coniecturam protulerunt. — Ἄτη hastā saevit Sept. v. 686 sq.: θυμοπληθὴς δορίμαργος ἄτα. — Παλίγκοτος et fortuna adversa fingitur Ag. v. 571 et fama eiusd. f. v. 863, v. 874. — Ipsa denique mens tanquam furit Sept. v. 966: μαίνεται . . . φρήν (cf. ib. v. 484, v. 781; Ag. v. 1427); difficillime vero ei persuadetur (δυσπαραβούλοισι φρεσίν Suppl. v. 106), etenim dura et quasi ferrea est (σιδηρόφρων Sept. v. 52).

Extremum est, ut paucas figuras adnectamus, quibus alia quaedam vitia animi, ut ita dicam, qualia sunt ferocia superbia ignavia, rebus inanimis impertiuntur. Crudele enim vocatur ferrum Sept. v. 730: ὠμόφρων σίδαρος (cf. § 5, p. 35). — Adiectivo ἄγριος translationibus scilicet admodum attritis depinguntur et vehemens ventorum impetus (Prom. v. 1046) et mare turbatum, quo ut dei filios Aegypti perdant, chorus Danaidum orat atque obsecrat (Suppl. v. 36), et vincula, quibus Prometheus ad saxum religatus est (Prom. v. 176; cf. ibid. v. 991). — Flumen rapidum super ripas effusum Prom. v. 717: ὑβριστὴς ποταμὸς οὐ ψευδώνυμος vocatur, quocum loco bene Blomfieldus Herod. I, 189 comparavit, ubi haec: κάρτα τε δὴ ἐχαλέπαινε τῷ ποταμῷ ὁ Κῦρος τούτῳ ὑβρίσαντι. Quodnam autem flumen hoc loco intellegendum sit, viri docti valde inter se dissentiunt. Delectat fortasse audire, quae Blomfieldus ad h. l. adnotavit. „Dubitatur“, inquit, „num in hoc loco Aeschylus Araxem fluvium innuat, an Istrum, an Tanaim, an Alazona, an Borysthenem, quod sentit Butlerus, an denique fluvium, cui nomen Hybrista, uti credit Schuetzius.

Eligat sibi lector, pensatis quae pro suo quisque flumine scripsit. Ego in postremam coniecturam propendeo." Attamen mihi quidem scholiastae Araxem significari arbitrati rectissime sic interpretari videntur: *ὑβριστὴν ποταμὸν τὸν Ἀράξην φησίν. Ἀράξης δὲ λέγεται παρὰ τὸ ἀράσσειν καὶ ἠχεῖν τὰ κύματα αὐτοῦ. τῷ γὰρ ὀνόματι τούτου καὶ ἡ πρᾶξίς ἐστι συνᾴδουσα.* Quapropter magnam prae se fert probabilitatis speciem Hermanni coniectura, qua post verba supra allata versum excidisse putat, in quo nomen infuisset Araxis fluvii. „Prorsus enim", Hermannus inquit, „fieri non potuit, ut non nominaret poeta fluvium, quem *οὐ ψευδώνυμον* esse diceret" (II, p. 120). — Sceptro Iovis superbia attribuitur, quae ipsius dei propria est Prom. v. 404: *ὑπερήφανον θεοῖς τοῖς πάρος ἐνδείκνυσιν αἰχμάν.* Cf. Sept. v. 455: *ὑπερκόπῳ δορί*, v. 391, v. 404. — Contra Choeph. v. 630: *γυναικείαν ἄτολμον αἰχμάν.* — Cui loco statim adiungamus Suppl. v. 771 sq., ubi naves quodammodo ignavae finguntur. Dicit enim Danaus Aegypti filios naves non esse appulsuros, priusquam portu animus iis additus sit: *οὕτω γένοιτ' ἂν οὐδ' ἂν ἔκβασις στρατοῦ Καλή, πρὶν ὅρμῳ ναῦν θρασυνθῆναι.*

Omnia audent feminarum libidines Choeph. v. 596 sqq.: *γυναικῶν . . . παντόλμους ἔρωτας.* — Quin etiam ad sermones *ὕβρις* illa transfertur Sept. v. 410: *ὑπέρφρονας λόγους.* Cf. ibid. v. 425; Pers. v. 827 sq., v. 831.

Iam vero cunctas, quas Aeschylus de homine traxit, conformationes excussisse mihi visus altera particula eas translationes perlustraturus sum, quas ab animali ductas ascivit, ut carmina exornaret ac res inanimas mentisque notiones redderet dilucidiores. Quas ut numero esse multo minores manifestum est, ita vel venustate vel sublimitate eae delectant praeclarumque dant testimonium insignis poetae ingenii. Atque ita quidem huius quoque generis exempla tractare e re esse mihi videtur, ut ea, quae de corpore animalis sunt deprompta, seiungamus ab iis, quae ex animalium proprietatibus facultatibus moribus hausta sunt.

Particula II.

De translationibus ab animali petitis.

§ 9.

De conformationibus a corpore animalis sumptis.

Quibus in afferendis quoniam eodem ordine atque in prima § uti par videtur, a duabus metaphoris proficisci liceat, quibus in universum res inanimae animalia effinguntur. Nam Solem poeta Iovis avem vocat Suppl. v. 212: *Ζηνὸς ὄρνιν τόνδε* (sc. *ἥλιον*) *νῦν κικλήσκετε.* Qua quidem translatione cum gallum gallinaceum significaret, minime similitudinem quandam solis cum gallo exprimere voluit — quid enim esset ineptius — sed haud dubie respexit morem illum, quo uterque dormientes e somno suscitat[103]). — Altera imago, quae fortasse huc referri potest, Ag. v. 824 sq. invenitur, ubi ligneus ille equus, per quem Graeci Troiam ceperunt, ita est vita praeditus, ut viros in alveo inclusos quasi pullum in lucem edere videatur. Verba haec sunt: *πόλιν διημάθυνεν Ἀργεῖον δάκος, ἵππου νεοσσός.*

Multō sane saepius poeta satis habuit ea, quae vita carent, ita animalis specie induere, ut unum corporis membrum vel partem improprie adhiberet. Sic cornibus naves Graecorum velut boves pastore male attento alia aliam feriunt perduntque imagine exquisita, quae obvia est Ag. v. 654 sqq.: *ναῦς γὰρ πρὸς ἀλλήλαισι Θρήκιαι πνοαὶ Ἤρεικον· αἱ δὲ κεροτυπούμεναι βίᾳ Χειμῶνι τυφῶ σὺν ζάλῃ τ' ὀμβροκτύπῳ, Ὤιχοντ' ἄφαντοι, ποιμένος κακοῦ στρόβῳ* (cf. § 5, p. 34). — Cornibus textile quoque instructum fingitur, quo obvolutus Agamemnon trucidatur Ag. v. 1127: *μελαγκέρῳ*[104]) *λαβοῦσα μηχανήματι τύπτει.*, nimirum quia Clytaemnestra, quae manibus sursum illud tenens in maritum irruit, Cassandrae vati haud dissimilis tauri videbatur.

Identidem „*γνάθος*" metaphorice ponitur, qua voce maris fauces ignis pestis cuneus illustrantur, proinde ac si rapaces sint bestiae: Prom. v. 726: *τραχεῖα πόντου Σαλμυδησσία γνάθος* (cf. § 5, p. 30), ad quae scholiasta: *ὡς τὸ „πολέμου στόμα" διὰ τὸ πᾶν τὸ εἰς αὐτὴν ἐμπῖπτον καταναλίσκειν.* — Prom. v. 368 sq.: *ποταμοὶ πυρὸς δάπτοντες ἀγρίαις γνάθοις*[105]) *Τῆς καλλικάρπου Σικελίας λευροὺς γύας.* Intellegenda est autem Aetna, qui mons, utpote cum ignes evomat, Siciliam morsu dilanians fingitur. — Choeph. v. 324 sq.: *φρόνημα τοῦ θανόντος οὐ δαμάζει Πυρὸς μαλερὰ γνάθος.* — Pestis quomodo homines dilaceret velut animal voracitate insigne, describitur Choeph. v. 280 sq.: *Σαρκῶν ἐπαμβατῆρας ἀγρίαις γνάθοις Λειχῆνας ἐξέσθον-*

τας ἀρχαίαν φύσιν. — Crudeli maxilla cuneus Promethei pectus percutit Prom. v. 64: ἀδαμαντίνου . . . σφηνὸς αὐθάδη γνάθον. Cf. Hom.: νηλέι χαλκῷ. — Atque Phinei maxilla per synecdochen ita extollitur, ut summa, quae ipsum incessit edendi cupido, ad illam transferatur fragm. 251: καὶ ψευδόδειπνα πολλὰ μαργώσης γνάθου Ἐρρυζίαζον στόματος ἐν πρώτῃ χαρᾷ.

Cervix vel tergum mari datur, cui iugum imponere conatur Xerxes, velut si iumentum sit Pers. v. 72: ζυγὸν ἀμφιβαλὼν αὐχένι πόντου (cf. ib. v. 722). Ut igitur hoc loco mare ingens animal esse videtur, ita cum servo comparatur Pers. v. 745 sq.: ὅστις Ἑλλήσποντον ἱρὸν δοῦλον ὣς δεσμώμασιν Ἤλπισε σχήσειν . . . — De Ag. v. 286 vid. § 1, p. 15. — Quos ad locos proxime accedit Ag. v. 529: τοιόνδε Τροίᾳ περιβαλὼν ζευκτήριον . . ., quamvis incertum sit, utrum hac translatione animal — id quod mihi quidem verisimilius videtur collatis Ag. v. 131 sqq., ubi στόμιον Troiae inicitur (cf. § 10, p. 54) —, spectaverit poeta an hominem. Utut vero est, etiam Keckio in traditis verbis, quae nemo adhuc praeter eum in dubitationem vocavit, acquiescendum neque Τρωσί scribendum erat. Quae enim protulit vir doctus argumenta (p. 296), ut suam commendaret coniecturam, cum vocabulum „Τροίαν“ iam v. 525 inveniri, tum Agamemnonem reapse non ipsi urbi, verum mulieribus puerisque ζευκτήριον illud iniecisse, ea quidem nullius fere momenti esse videntur. An non sexcentae huiusmodi metonymiae ex poetarum carminibus possunt afferri?

Pedibus leoninis pelvis incedit vel potius insistit fragm. 224: λεοντοβάμων[106]) ποῦ σκάφη χαλκήλατος;.

Transeo ad metaphoras de avibus sumptas, quibus Aeschylus imprimis ad celeritatis notionem significandam usus esse videtur. Celeribus alis venti instructi sunt Prom. v. 88: ταχύπτεροι πνοαί. — Candidae tanquam aviculae nives de caelo devolant Prom. v. 993: λευκοπτέρῳ νιφάδι, quocum loco Weilius comparat Herod. IV, 31: ἔοικε γὰρ ἡ χιὼν (ἁδρὴ πίπτουσα) πτεροῖσι. — Similem in modum navibus alae impertiuntur. Ac revera similitudinem quandam inter avium volantium speciem intercedere et navium, sive remis eae aguntur sive velis feruntur, vix eum fugerit, qui e longinquo conspexerit navigium. Huc autem spectant hi loci Aeschylei: Pers. v. 559: ὁμόπτεροι[107]) νᾶες. Cf. Hom. Od. 11, 125: ἐρετμά, τά τε πτερὰ νηυσὶ πέλονται. — Prom. v. 467 sq.: θαλασσόπλαγκτα . . . λινόπτερ' ηὗρε ναυτίλων ὀχήματα. Cf. Ovid. Pont. 4, 5, 42: rates velivolae. — Suppl. v. 734: νῆες ὠκύπτεροι. — Deinde volucrem serpentem poeta sagittam appellat Eum. v. 181 sq.: μὴ καὶ λαβοῦσα πτηνὸν ἀργηστὴν ὄφιν, Χρυσηλάτου θώμιγγος ἐξορμώμενον., quam ei imaginem, ut

Schuetzius dicit, sumministravit „serpentum aspectus, quibus Eumenidum crines redimiti erant". Conferatur Sept. v. 676, siquidem Hermannus (II, p. 324 sq.) veram scripturam revocavit. — De Choeph. v. 174, ubi *θρίξ* nominatur *ὁμόπτερος*, videas, quae Hoppe l. l. p. 24 disputavit.

Paulo aliter subsequentes translationes ortae esse videntur. Neque enim propter speciei similitudinem quandam iis, quae vita carent, vel alae tribuuntur vel volandi facultas, sed eae partim ita explicandae sunt, ut quaecunque sic apparent, ut unde veniant nescias, ea avium natura induantur, utpote quae unde advolent et quo avolent, ignorare soleamus, partim ex analogia[108]), ut ita dicam, earum mentis notionum, quae apud veteres in numinum divinorum numero habebantur, eae manaverunt. Alterius rationis haec fere occurrunt exempla: Prom. v. 115: *τίς ἀχώ, τίς ὀδμὰ προσέπτα μ' ἀφεγγής;*, quibus verbis se ipse interrogat Prometheus, simul atque strepitum quendam audivit ignarus Oceanidum appropinquantium. Qua de causa odorem illum obscurum, qui unde ortus sit, discernere non possit, alis advolantem fingit. — Pers. v. 669: *Στυγία γάρ τις ἐπ' ἀχλὺς πεπόταται.* — Prom. v. 555: *τὸ διαμφίδιον δέ μοι μέλος προσέπτα.* — Sept. v. 84: *διὰ πέδον βοὰ ποτᾶται.* — Suppl. v. 656; Prom. v. 644. — Etiam alterius rationis translationes hic ponendae videntur, quia antecedentium simillimae sunt, etsi iis non tam aves nobis proponuntur quam notiones velut numina alis praeditae effinguntur. Sicut enim *Ἔρις, Ἔρως, Νέμεσις, Νίκη* numina alata sunt credita, ita similiter describuntur *ὄνειρος, δεῖμα, πόνος, φάτις*, alia abstracta: Ag. v. 424 sqq.: *παραλλάξασα διὰ χερῶν, Βέβακεν ὄψις οὐ μεθύστερον Πτεροῖς ὀπαδοῦσ' ὕπνου κελεύθοις.* Cf. Eurip. Hec. v. 71: *μελανοπτερύγων... ὀνείρων.* — Ag. v. 975 sqq.: *τίπτε μοι τόδ' ἐμπέδως Δεῖμα προστατήριον Καρδίας τερασκόπου ποτᾶται.* — Suppl. v. 328: *πόνου δ' ἴδοις ἂν οὐδαμοῦ ταὐτὸν πτερόν.* — Ag. v. 276: *ἄπτερος*[109]) *φάτις* (Keckius *ὄρνις*), cf. Soph. O. T. v. 157: *ἄμβροτε Φάμα.* — Eum. v. 378 sqq. — Choeph. v. 389 sq.

§ 10.

De conformationibus ab animalium proprietatibus et consuetudinibus ascitis.

Exordiri placet ab imaginibus nonnullis, quas ex agricultura poeta mutuatus esse videtur. Troia enim velut iumentum est freno iniecto domitum; esse autem illud frenum Argivorum exercitum vel potius, ut recte monuit Weilius, Atridas chorus ait Ag. v. 131, ubi haec vulgo leguntur verba, etsi fortasse non omnia sana sunt: *οἷον μή τις ἄγα θεόθεν κνεφάσῃ προτυπὲν στόμιον μέγα Τροίας στρατω-*

θέν. — Exsoluta videtur frenis vel vinculis Agamemnonis domus Aegistho et Clytaemnestra interemptis Choeph. v. 962: μέγα δ' ἀφηρέθη ψάλιον οἰκίων [110]), siquidem Weilius veram scripturam restituit. — Coniuncta vocantur vincula, in quibus Agamemnonis manus pedesque implicata sunt Choeph. v. 982: πέδας τε χειροῖν καὶ ποδοῖν ξυνωρίδα. — Ex abstractis robur et iustitia copulata effinguntur fragm. 311a: ὅπου γὰρ ἰσχὺς συζυγοῦσι καὶ δίκη, Ποία ξυνωρὶς τῶνδε καρτερωτέρα;. — Denique eadem fere ratione illustrantur belli mala tam in civitatem quam in singulos cives ingruentia Ag. v. 643: δίλογχον ἄτην, φοινίαν ξυνωρίδα.

Antequam metaphoras ex rebus pastoralibus carptas proferam, haud alienum duco hic unam subiungere imaginem ab apium examine petitam. Obvia est Suppl. v. 684 sq.: ubi Danai filiae deos implorant, ut turba morborum quam longissime a civibus Argivis considat: νούσων δ' ἑσμὸς ἀπ' ἀστῶν Ἵζοι κρατὸς ἀτερπής (cf. § 6, p. 38). — Iam pecudes finguntur herbae arboresque, cum qui iis culturam adhibet, pastor earum appelletur Eum. v. 911: ἀνδρὸς φιτυποίμενος δίκην. — Navium multitudo gregis imaginem poetae excitavit, quare gubernatores earum pastores nominat Suppl. v. 767: ναῶν ποιμένες, quocum loco fere congruit Ag. v. 657: ᾤχοντ' ἄφαντοι (sc. ναῦς) ποιμένος κακοῦ στρόβῳ (cf. p. 34, p. 52). — Pascuntur κέαρ, πόνος, πάθος, ita tamen, ut notio demulcendi vel deleniendi subaudienda sit: Choeph. v. 26: δι' αἰῶνος δ' ἰυγμοῖσι βόσκεται κέαρ. — Ag. v. 669: ἐβουκολοῦμεν φροντίσιν νέον πάθος. — Eum. v. 78 sq.: μὴ πρόκαμνε τόνδε βουκολούμενος πόνον. Cf. Choeph. v. 598. — Mugitus boum ad tonitrua transfertur Prom. v. 1062: βροντῆς μύκημ' ἀτέραμνον [111]). Cf. ibid. v. 1082 sq.

Duae imagines, utraque fortasse oblitterata, a venatione ductae videntur. Nam feras Atossa fingit Athenas, quas Xerxes quasi venando captaverit Pers. v. 233: ἀλλὰ μὴν ἵμειρ' ἐμὸς παῖς τήνδε θηρᾶσαι πόλιν. — Ac difficillime Iovis voluntatem capi posse venando affirmatur Suppl. v. 86: Διὸς ἵμερος οὐκ εὐθήρατος ἐτύχθη.

Graeci, qui Atticam terram coluerunt conseveruntque impedimentis amotis, e fera illam tanquam mansuetam fecerunt Eum. v. 13 sq.: ... χθόνα Ἀνήμερον τιθέντες ἡμερωμένην.

Saepissime Aeschylus, qua erat ingenii gravitate atque acerbitate, ea, quae sunt inanimata, bestias effinxit hominibus infestas arrepentes mordentes, quemcunque comprehenderunt dilacerantes. Sic abstracta nonnulla vel verbo ἕρπειν eiusve compositis vel consimilibus verbis illustrantur. Morbi, qui velut serpentes hominibus surrepere solent, ut procul absint, chorus Eumenidum exoptat: μηδ' ἄκαρπος αἰανὴς ἐφερπέτω νόσος (Eum. v. 943). — Similes sunt hi loci: Prom.

v. 127: *πᾶν μοι φοβερὸν τὸ προσέρπον.* — Ag. v. 450: *φθονερὸν δ' ὑπ' ἄλγος ἕρπει προδίκοις Ἀτρείδαις.* — Suppl. v. 679 sq.: *μηδέ τις ἀνδροκμὴς λοιγὸς ἐπελθέτω.* — Prom. v. 272 sq.: *τὰς προσερπούσας τύχας ἀκούσατε.* — Eum. v. 313 sq.: *τὸν μὲν καθαρὰς χεῖρας προνέμοντ' Οὔτις ἐφέρπει μῆνις ἀφ' ἡμῶν.* Cf. ib. v. 500. — Fragm. 165: *ἐκ ποδῶν δ' ἄνω Ὑπέρχεται σπαραγμὸς εἰς ἄκρον κάρα κτλ.* — Choeph. v. 463: *τρόμος μ' ὑφέρπει κλύουσαν εὐγμάτων.* Cf. Ag. v. 270. — Sed haec hactenus, nam eo magis in prolatis his locis requiescendum videtur, quo certius est paucos translationis vigorem quendam retinuisse, id quod iam Hensium l. l. p. 102 docuisse video.

Iam iis, quae restant, imaginibus bestiae pinguntur crudelitate rapacitateque insignes. Praeclare Eteocles minime se Tydei arma extimescere nuntio respondet hisce: *κόσμον μὲν ἀνδρὸς οὔτιν' ἂν τρέσαιμ' ἐγώ, Οὐδ' ἑλκοποιὰ γίγνεται τὰ σήματα· Λόφοι δὲ κώδων τ' οὐ δάκνουσ' ἄνευ δορός* (Sept. v. 397 sqq.). — Amor animum mordet Ag. v. 743: *δηξίθυμον ἔρωτος ἄνθος.* — Similiter Ag. v. 1470 sq.: *κράτος τ' ἰσόψυχον* (Weil. *κακόψυχον*) *ἐκ γυναικῶν Καρδιόδηκτον ἐμοὶ κρατύνεις.* Cf. Pers. v. 161, v. 115. — Suppl. v. 466: *ἤκουσα δακνιστῆρα καρδίας λόγον*, si hanc Hermanni scripturam recipimus, qua traditam „*μακιστῆρα*" e scholiastae adnotatione „*λόγον καρδίας δηκτικόν*" emendavit, cum plerique editores Aurati coniecturam „*μαστικτῆρα*" exhibeant. — Doloris morsus commemoratur Ag. v. 791 sq. *δῆγμα δὲ λύπης Οὐδὲν ἐφ' ἧπαρ προσικνεῖται.* — Denique morsu violant *πῆμα, συμφορά, ἵμερος*: fragm. 456: *οὐκ ἦν ἄρ' οὐδὲν πῆμ' ἐλευθέραν δάκνον Ψυχὴν ὁμοίως ἀνδρὸς ὡς ἀτιμία.* — Pers. v. 846: *μάλιστα δ' ἥδε συμφορὰ δάκνει.* — Sept. v. 692 sqq.: *ὠμοδακής σ' ἄγαν ἵμερος ἐξοτρύ — Νει πικρόκαρπον ἀνδροκτασίαν τελεῖν Αἵματος οὐ θεμιστοῦ.*

Ignis devorat et thura (Ag. v. 597: *θυηφάγον φλόγα*) et faces (Eum. v. 1041 sq.: *πυριδάπτῳ λαμπάδι*). — Edaces appellantur Furiarum hastae Eum. v. 803: *βρωτῆρας αἰχμὰς σπερμάτων ἀνημέρους*, quae verba Schuetzius de grandine accipit Furiarum ira segetibus immissa. Qui locus si recte sese habet, in memoriam nobis reducit Homeri illud: *ἐγχείη... ἱεμένη χροὸς ἄμεναι ἀνδρομέοιο* (Il. 21, 70, aliis locis). Sed quia admodum dubium, num integra sit librorum illa scriptura, alii in alia abierunt. — Ulcus Philoctetae pedem adedit fragm. 246: *φαγέδαιναν, ἥ μου σάρκας ἐσθίει ποδός.* — Denique comparentur hi loci: Ag. v. 102 sq.: *ἐλπὶς ἀμύνει φροντίδ' ἄπληστον Τῆς θυμοβόρου φρένα λύπης.* Sic enim hunc locum ambiguum varie in libris manu scriptis traditum Dindorfius Schneidewinus Engerus alii scribunt, sed digna quae respiciantur videntur, quae Keckius exhi-

bens: „ἐλπὶς ἀμύνει θυμοβόραν φροντίδ' ἄπληστον"[112]) sagacissime de hoc loco exposuit (p. 222 sq.). — Choeph. v. 1068 sq.: παιδοβόροι μόχθοι. — Prom. v. 437: συννοίᾳ δὲ δάπτομαι κέαρ.

Haec fere habui, quae de conformationum Aeschylearum usu disputarem. Quibus in proferendis si nimio fortasse indagandi studio inductus nonnunquam modum excessi enumeratis translationibus prorsus usu tritis, illud quidem mihi crimini dari malui quam condemnari me indiligentiae. Comprobasse vero hoc quidem opusculo mihi videor veteres, cum sublimitatem Aeschyleam ac magniloquentiam extollerent, haud minime spectasse conformationes. Has enim tanquam lumina sermonis tam larga manu per carmina dissipavit modo audacia exsultantes, modo magnificentia admirationem moventes, plerumque mollitiei speciem respuentes, semper fere perspicuitate insignes, ut vix a quoquam vetere scriptore superetur. Illustravit autem vitā quasi induta non solum quaecunque in caelo versantur et cernuntur, sidera stellas, fulmina tonitrua, aëra ventos, imbres nives, verum etiam quae in terra exstant et res naturae, montes saxa, mare flumina, prata nemora, et quae arte hominumque manu confecta sunt, domus vestes, instrumenta arma, nec non permultas notiones et temporis et mentis, ita ut nihil fere inveniatur, quod ille quodammodo vivum non effinxerit.

Iam etsi ex translationibus, quibus usi sunt poetae, ut supra diximus, colligi licet, quinam fuerit eorum vitae cursus, qui mores, quae studia, valde tamen nobis cavendum est, ne ex conformationibus nimium pro certo statuamus, quippe quae figuratae dictionis partem contineant admodum exiguam. Apparet autem ex iis studiosissimum fuisse Aeschylum maris rerumque navalium; nec mirum, utpote qui cum pugnis navalibus apud Salamina et Artemisium factis interfuisse, tum bis in Siciliam profectus esse tradatur. Itaque e rebus maritimis tantam imaginum varietatem tantamque ubertatem hausit, quam apud Sophoclem frustra quaesiveris. Praeterea vero poetam attendisse animum ad piscationem venationem agriculturam pastorumque vitam multis confirmari videtur conformationibus. Contra artes et mercaturam haud dubie minus aptas duxit, e quibus translationes peteret. Denique in deliciis ei erant res bellicae, quod nisi exempla ostenderent non pauca, carmen illud sepulcrale ab ipso, ut fertur, compositum doceret eum non tam gloriatum esse fabulis pactis, quam quod pugnae interfuisset Marathoniae. Sed satis habeo haec strictim attigisse, praesertim cum Tuchius (l. l. passim) has res pluribus persecutus sit.

Extremum iam moneo Aeschylum iuvenem imprimis ea, quae sensibus subiecta sunt, quo magis autem aetate esset provectus, eo plures res nec visu nec tactu manifestas conformationibus illustrasse. Haec ut probem numeris nonnullis, in Persarum fabula, quae fabularum nobis traditarum vulgo antiquissima existimatur, 45 concretis et 22 abstractis vita tribuitur, contra in Eumenidum fabula, quae postrema habetur, 27 concretis et 36 abstractis. Proxime ad Persarum fabulam hac in re accedit „Prometheus vinctus", qua fabula 46 concreta et 32 abstracta viva finguntur, cum „Supplices" et „Septem contra Thebas", quae inscribuntur, etsi hae fabulae Promethei tragoedia antiquiores putantur, Oresteae similiores sint. Ac fortasse iuvat audire concreta praecipue in deverbiis occurrere, abstracta in canticis, qua sunt sublimiore dictione. Sic in Persarum deverbiis 27 concreta et 12 abstracta inveniuntur, in Agamemnonis deverbiis 67 concreta et 36 abstracta; at in canticis Agamemnonis fabulae 14 concreta, 50 abstracta obvia sunt, in Eumenidum canticis 5 concreta, 22 abstracta. Sed haec hactenus, ne nimiis numeris longus sim.

Adnotationes.

1) In Aristoph. Ran. v. 814 Aeschylus *ἐριβρεμέτας* vocatur, quod epitheton Homerus (Il. 13, 624) Iovi dedit. Cf. Ran. v. 821; v. 1004; v. 1252 sq. alibi. Aristophanes quanquam Aeschylum propter nimiam canticorum longitudinem atque verborum audaciam identidem vituperat, tamen sedem regiam inter poetas tragicos ei attribuit. Videas praeterea quae tradunt:

Athenaeus XIII, p. 600 A: . . . *καὶ ὁ σεμνότατος Αἰσχύλος*. Idem XIII, p. 601 A: . . . . *Αἰσχύλος μέγας* (*σεμνός* Meinekius anal. crit. p. 285) *ὢν ποιητής*.

Dioscorides (Anth. Pal. VII, 411, 3): . . . *Αἰσχύλος . . . ὁ μὴ σμιλευτὰ χαράξας γράμματα, χειμάρρῳ δ' οἷα καταρδόμενα.*

Himerius or. XXIII (in mortem filii Rufini), p. 774 (Wernsd.): *ὢ πάθος τῆς Αἰσχύλου μεγαλοφωνίας ἄξιον.* Idem or. XXXIII, 4, p. 874: *Αἰσχύλον ἔτι νέον ὄντα . . . ἄρτι τὴν ποίησιν ὑψοῦ χαμόθεν ἐγείροντα.*

Dio Chrysostomus or. LII, p. 158, 18 D: *ἡ τοῦ Αἰσχύλου μεγαλοφροσύνη καὶ τὸ ἀρχαῖον, ἔτι δὲ τὸ αὔθαδες τῆς διανοίας καὶ φράσεως, πρέποντα ἐφαίνετο τραγῳδίᾳ καὶ τοῖς παλαιοῖς ἤθεσι τῶν ἡρώων.*

Dionysius Halicarn. de vet. script. cens. II, 10, p. 422 R: *ὁ δ' οὖν Αἰσχύλος πρῶτος καὶ τῆς μεγαλοπρεπείας ἐχόμενος καὶ ἠθῶν καὶ παθῶν τὸ πρέπον εἰδὼς καὶ τῇ τροπικῇ καὶ τῇ κυρίᾳ λέξει διαφερόντως κεκοσμημένος.* Idem de compos. verb. c. XXII: *ταύτης τῆς* (sc. *αὐστηρᾶς*) *ἁρμονίας πολλοὶ μὲν ἐγένοντο ζηλωταί, ἐν δὲ μελοποιΐᾳ Πίνδαρος, ἐν τραγῳδίᾳ δὲ Αἰσχύλος.*

Dionysius vel Longinus qui dicitur (de sublim. XV, 5 sq.): *τοῦ δ' Αἰσχύλου φαντασίαις ἐπιτολμῶντος ἡρωικωτάτοις.* Idem de sublim. III, 1 (ad Aeschyl. fragm. 280): *οὐ τραγικὰ ἔτι ταῦτα, ἀλλὰ παρατράγῳδα αἱ πλεκτάναι καὶ τὸ πρὸς οὐρανὸν ἐξεμεῖν καὶ τὸ τὸν Βορέαν αὐλητὴν ποιεῖν καὶ τὰ ἄλλα ἑξῆς.*

Photius bibl. cod. 158, p. 328 R: . . . *τῶν τραγικῶν Αἰσχύλον τὸν μεγαλοφωνότατον.*

Quintilianus X, 1, 66: Tragoedias primus in lucem Aeschylus protulit, sublimis et gravis et grandiloquus saepe usque ad vitium.

Macrobius Saturn. V, 22, 19: . . . Aeschylum eminentissimum tragoediarum scriptorem.

Propertius III, 30, 43: Desine et Aeschyleo componere verba cothurno, || Desine, et ad molles membra resolve choros.

Omnia haec posteriora testimonia a Fr. Schoellio praemissa exstant in Ritschelii fabulae Septem editione secunda (Lips. 1875) p. 36—49 passim.

2) Cf. B. Todt.: de Aeschylo vocabulorum inventore. Hal. Sax. 1855.

3) I. Muetzell: de translationum, quae vocantur, apud Curtium usu; progr. gymn. Ioach. Berol. 1842. — E. Luebbert: de elocutione Pindari; diss. inaug. Hal. Sax. 1853. — O. Goram: Pindari translationes et imagines (Philol. vol. XIV, p. 241 sqq.); 1859. — Hoppe: de comparationum et metaphorarum apud tragi-

cos Graecos usu; progr. gymn. Leucophaei Berol. 1859. — Lobeck: dissertationes de metaphora et metonymia; ed. Friedlaender Regiomonti 1864. — G. Radtke: de tropis aqud tragicos Graecos; diss. inaug. Berol. 1865. — Partic. II, progr. Krotosch. 1867. — G. F. H. Coenen: de comparationibus et metaphoris apud Atticos praesertim poetas; diss. litt. Traiecti ad Rhen. 1875. — E. Schwartz: de metaphoris e mari et re navali petitis quaestiones Euripideae; diss. inaug. Kil. 1878. — Lueck: de comparationum et translationum usu Sophocleo; progr. I, Neumark. 1878; II, 1880. — H. Kuehlbrandt: quomodo Sophocles res inanimas vita humana induerit; diss. inaug. Lips. 1880.

4) Cf. Hegel, Aesthetik I, p. 520 sq. passim.

5) Quod metaphoricum dicendi genus auctor ad Herennium IV, 53, § 66 *conformationem* vocat exponens haece: conformatio est, cum aliqua, quae non adest, persona confingitur, quasi adsit, aut cum res muta aut informis fit eloquens, et forma ei et oratio attribuitur ad dignitatem accommodata aut actio quaedam. — Contra apud Priscianum (H. Keil: gramm. lat. III, p. 437) illa vox solam προσωποποιίαν denotat: . . . conformatio vero, quam Graeci προσωποποιίαν nominant, est quando rei alicui contra naturam datur persona loquendi, ut Cicero patriae et rei publicae in invectivis dat verba.

6) Cf. l. l. praefat. p. VIII, p. XXX sq.

7) Cf. Welcker, griechische goetterlehre I, p. 72 sqq. — Hense l. l. p. XIII sqq.

8) Cf. Fr. Vischer, Aesthetik, III, § 851, p. 1224 sq. passim. — Pluribus haec exposuit H. Kuehlbrandt l. l. p. 7—10.

9) Cf. Hegel, Aesthetik I, p. 519.

10) Cf. Louis Morel: de vocabulis partium corporis in lingua Graeca metaphorice dictis. Genavae 1875.

11) In versibus numerandis Dindorfii sequar rationem. Quod vero ad ordinem singularum conformationum attinet, ipsa prima earum origo praescribere videtur, ut semper eas praeponamus, quibus res sensibus subiectae quasi vita induuntur, deinde eas consideremus, quibus ea, quae non in conspectum cadunt, tanquam viva oculis nostris obversantur.

12) Cf. Blomfieldi adnotat. ad h. l. adiect.; p. 233.

13) Vid. edit. p. 318.

14) Hom. Od. V, 295: Ζέφυρος δυσαής; ibid. XII, 407: Ζέφυρος μεγάλῃ σὺν λαίλαπι θύων. — Catull. 64, 271: Horrificans Zephyrus proclivas incitat undas; alibi.

15) Haud male Droysenius vertit: „das glück, liebe ruh im antlitz."

16) Varias virorum doctorum coniecturas afferre supervacaneum videtur, cum ad conformationem intellegendam nihil attineant.

17) Cf. Prom. v. 425 sqq.

18) Cf. Hense l. l. p. 24.

19) Cf. Hom. Il. I, 88: οὔ τις ἐμεῦ ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο κτλ. alibi.

20) Eurip. I. A. v. 1378: εἰς ἔμ' Ἑλλὰς ἡ μεγίστη πᾶσα νῦν ἀποβλέπει. De Eum. v. 1025 sqq. vid. supra. Plura exempla desiderantibus large offert Hense l. l. p. 31 sqq.

21) Codices hunc versum sic exhibent: ἦπου (Stanleius εἴ που) πάλαι, φαιδροῖσι τοισίδ' ὄμμασιν, quae Hermannus Schneidewinus (vid. quae ad h. v. adnotavit) alii retinuerunt; Weilius alii cum Aurato: . . . φαιδροῖς ἰδόντες ὄμμασιν.

22) Hense l. l. p. 45.

23) Cf. Hense, ueber personificierende adiectiva etc. p. 8.

24) Cf. Aristoph. Eq. v. 550: φαιδρὸς λάμποντι μετώπῳ.

25) Vid. Weilii adnotationem ad h. l. adiectam.

26) Permulta exempla collegit Morel, l. l. p. 24 sqq.

27) Nos translatione paulo mutata „enghalsig" dicimus.

28) Cf. Soph. Ai. v. 17: χαλκοστόμου κώδωνος.

29) Hermanni est emendatio pro trad. δεινὴν στομάτων ἔκφυσιν ποδός. Cf. quae Hense l. l. p. 51 exempla affert e Shaksperio hausta: those mounded wounds (Henry IV., I, 1, 3, alia).

30) Cf. Preller, griech. Mytholog. I, p. 237.

31) Nos eadem dicendi consuetudine utimur: „bergruecken".

32) Sic enim ex Pauwii coniectura pro vulgato κτύπῳ cum Dindorfio et Weilio lego.

33) Quocum loco haud inepte Abreschius comparat Herod. IV, 27: ἡ ναυμαχίη εἰς γόνυ τὴν πόλιν ἔβαλε (urbe pro incolis posita).

34) Droysenius: „mit schnellem fusse kommt das missgeschick den sterblichen." Similiter Schilleri illud: „das unglueck schreitet schnell."

35) Cf. Pers. v. 515 sq.: ὦ δυσπόνητε δαῖμον, ὡς ἄγαν βαρὺς Ποδοῖν ἐνήλλου παντὶ Περσικῷ γένει.

36) Cf. Ovid. trist. 2, 453: digitis loqui.

37) Eurip. Phoen. v. 1715: τυφλὴν χέρα.

38) Cf. Soph. Trach. v. 549.

39) Cf. Keckii adnotationem ad. h. l. prolatam.

40) Eurip. Ion. v. 1050: μελάμπεπλος Νύξ. — Soph. Trach. v. 132: αἰόλα νύξ.

41) Concreta huiusmodi conformationibus illustrata apud Aeschylum non occurrunt.

42) Vid., quae ad hunc locum adnotavit.

43) Sic Lobeckius ad Soph. Aiac. p. 103 pro trad. γλώσσης scribendum esse putat.

44) Hartungus Engerus Weilius alii verba „μέγα δουλείας" pro interpretamento accipiunt. — Keckius: . . . μήτ' οὖν νεαρὸν λίνα δουλείας, (ἐκδυσάμενον) γάγγαμον . . .

45) Etiam hoc loco (cf. p. 21) non possum non reprehendere Dindorfii rationem, quod is, etsi rectissime, quantum equidem iudicare possum, in edit. V. Lips. 1869 edita sic, ut attulimus, locum exhibet plerisque editoribus minusculis δίκας scribentibus, tamen — utut res se habet — adeo sibi non constitit, ut in alia editione aliter scripserit et ne in editione V. correctiore et lex. Aesch. quidem eodem anno (1873) editis eandem scripturam servaverit.

46) Est Casauboni coniectura pro trad. „ναῦν θέλουσ'" tam probabilis, ut omnes fere editores eam in textum receperint.

47) Etiam hic aeque ac prioribus illis locis cum Dindorfio et Weilio Iustitiam esse deam accipiendam existimo, quanquam apud Hermannum minusculis δίκας scriptum legitur.

48) Sic enim Erfurdtius traditam scripturam δ' ἐφόρους emendavit mutatione tam levi et probabili, ut plerique editores eum secuti sint.

49) Cf. Eurip. Hipp. v. 1223: στόμια πυριγενῆ.

50) Optime Keckius: „lanzenbraut." — Hunc in modum cum omnes fere viri docti haec verba expediant, minus mihi arridet Dindorfii interpretatio „armis a sponsis petita", qua licet exprimatur sententia, imago prorsus diluitur. Contra conferas Todt. l. l. p. 39; van Heusd. adnotat. ad h. l. adiect. (p. 295).

51) Cf. Schuetz. edit. I. p. 361.

52) Etiam hoc verbum Keckius vitiosum censet (p. 354 sq.).

53) Quae verba a Droysenio bene sic translata sunt: „weinet die thraene, die rieselnde, sterbende ihm der starb unsrem herrn.“

54) Cf. Sept. v. 1051: *Ἔρις περαίνει μῦθον ὑστάτη θεῶν.*

55) Vid. Keck. p. 380.

56) Cf. Soph. Antig. v. 418 sqq.

57) Hanc librorum scripturam nescio an recte Hermannus servaverit, etsi singularis videtur attractio illa (*πιστοὺς ὅπως γένοισθε*), quae adeo vexavit et Dindorfium et Weilium, ut ille verborum ordine immutato „*ὅπως γένοισθε πρὸς χρέος πιστοὶ τόδε*“ scriberet, hic: „*πιστός τις ὡς γένοιτο πρὸς χρέος τόδε.*“

58) Cf. Verg. Georg. 4, 369: pater Tiberinus. — Tibull. 1, 7, 23: Nile pater. — Eurip. Hec. v. 451: *ἔνθα καλλίστων ὑδάτων πατέρα φασὶν Ἀπίδανον γύας λιπαίνειν.* — Bacch. v. 511. — Plura exempla praebet Hense l. l. p. 182 sq.

59) Vid. Oberdick. edit. p. 193 et p. 145. — Nauck. ad. Soph. O. C. v. 689. — Wellaueri et Dind. lex. s. v. *πολύτεκνος.* — Eadem ratione Droysenius h. v. ad fertilitatem aquis fluminum ortam rettulit, cum „keimweckend“ vertat.

60) Cf. Todt. l. l. p. 34.

61) Cf. Todt. l. l. p. 39 sqq.

62) Cf. Schol: *χιονόβοσκον: φασὶ γὰρ λυομένης χιόνος παρὰ Ἰνδοῖς πληροῦσθαι αὐτόν.*

63) Prom. v. 31: *ἀτερπῆ πέτραν* i. e. saxum nullo gaudio afficiens.

64) Eleganter Droysenius: „den ur, des pfluges sklaven.“

65) Hos quidem versus Dindorfius eiecit; vid. tamen Weilium ad h. l.

66) Dindorfius cod. *M.* scripturam . . . *πράκτορά τε σκοπόν* . . . retinuit.

67) Nihil esse causae, cur Dindorfius vv. 895—902 uncis incluserit, optime comprobasse mihi videtur Weilius adnotatione ad h. l. adiecta.

68) Sic Dindorfius h. l. admodum corruptum exhibet; alii in alia inciderunt, quae apud ipsos videas.

69) Dind. comma post *εὖ* positum delevit. Libri *τίς* post *εὖ* exhibent, deinde pro *δεῖ μένειν* . . . „*δειμαίνει*“.

70) Schol.: *οὐ πανταχῇ τὸ δεινὸν ἀπεῖναι φρενῶν δεῖ.*

71) Haec Weilii scriptura maxime mihi probatur; vid., quae ad h. l. adnotavit. — Alii alia coniecerunt.

72) Concreta hunc in modum illustrata apud Aeschylum non obvia sunt.

73) Sic enim rectissime mea quidem sententia Dindorfius Weilius alii scripserunt Porsoni ex emendatione, qui interpunctionem, quam cod. *M.* post *θάρσει* exhibet, delevit, imperativum ab hoc loco alienum esse ratus.

74) Male scholiasta *διῆκε* aoristum verbi *διίημι* intellexit, namque interpretatur: *διελθεῖν καὶ ῥεῦσαι ἐποίησεν.*

75) Cf. Horat. carm. III, 4, 42 sq.: fulmen caducum.

76) Vide etiam miram schol. interpretationem.

77) Scribendum putaverunt pro „*χειρός*“ Causabonus *χεῖλος*, Pauwius *χηρός*, Hermannus *χρεῖος*; Both. Schneidew.: *Ἐλπὶς προσίει χεῖρας*, Keck.: *Ἐλπὶς προσῆστ' ἀχρεῖος.*

78) Concreta sic descripta non inveniuntur.

79) Commode Droysenius h. l. convertit ita: („wird) keine hand ihn finden, die ihm ein grab erhoeht.“

80) Sic Dindorfius, alii aliter; metaphora vero, quae in hoc loco corrupto inest, recte videtur esse tradita.

81) Cf. Soph. Antig. v. 1065: τροχοὺς ἁμιλλητῆρας ἡλίου.

82) Nec Heimsoethii coniectura ἔτεινον nec Oberdickii ἔθυνον opus videtur esse, quia tradita scriptura [illegible] praebet sensum.

83) Cf. Weil. ad h. [illegible] Tuch. l. l. p. 19.

84) Cf. Blomfieldi ad [illegible] adnotationem (p. 124).

85) Praeclare Droysenius: [illegible] seiner feigheit schmeichl' er kampf fort und gefahr."

86) Cf. Senec. Herc. Oet. v. 1474: quercus fatidica.

87) Keckius sic: „In die wolken hinein schiesst hier, schiesst dort Aufflackernde gluth, Weich flammend und mild von des heiligen oels Wohlthaetigem schmeicheln und sanfter gewalt, Zu empfahen die heiligen myrrhen."

88) Sic omnes editores cum Aurato pro trad. v. εὔφρον'.

89) Droysenius: „wo ist der Argo sprachbegabter kiel?"

90) Quod levissima mutatione pro „κινύρονται" restituit L. Dindorfius et propter Hesychii glossam „μινύρονται· προφωνοῦσι, προλέγουσι" et propter scholiastae adnotationem: „προφωνοῦσι οἱ ἐν τοῖς γένυσι τῶν ἵππων χαλινοί."

91) Keckius: „lauert doch, schaurig von neuem erstanden, Tückisch im hause der groll, blutrache dem moerder gelobend."

92) Cf. Todt. l. l. p. 21.

93) Droysenius: „rings drum jauchzten die lande."

94) Cf. Tuch. l. l. p. 18 sq.

95) Sic Keckius pro vulg. script. πεύκῃ τό, in qua alii quoque haeserunt; cfs., quae adnotavit ad h. l. p. 260 sq.

96) Sic plerique interpretes cum Blomfieldo pro trad. script. συμφοραῖς.

97) Vid. Weil. et Teuffel. ad h. l.; conferre iuvat Sept. v. 115, v. 761, de quibus omnibus Blomfieldus ad Prom. v. 90 pluribus disseruit.

98) Cf. schol. ad Prom. v. 406.

99) Triclinius τηξικάρδιος, Vossius πλησικάρδιος, Schneidew. δακεσικάρδιος vel δηξικάρδιος, Keckius ταμεσικάρδιος.

100) Cf. Hense l. l. a. 1874 edit. p. 14.

101) Vid. Hom. Il. 13, 299.

102) Dindorfii coniecturam φιλοστόνων nemo, ni fallor, recepit.

103) Schol.: τὸν ἥλιον· ἐξανίστησι γὰρ ἡμᾶς ὡς ὁ ἀλεκτρυών.

104) Varias virorum doctorum coniecturas supervacaneas esse Weckleinius „Studien zu Aeschylus p. 1 sq." docuit.

105) Ignem iam ab Aegyptiis beluam esse habitum Herodotus (III, 16) narrat: „Αἰγυπτίοισι νενόμισται τὸ πῦρ θηρίον εἶναι ἔμψυχον, πάντα δὲ αὐτὸ κατεσθίειν, τάπερ ἂν λάβῃ.

106) Cf. Soph. Aiac. v. 1404: ὑψίβατον τρίποδ' ἀμφίπυρον.

107) Oberd. αἰνόπτεροι . . . Weil. ὀρσόπτεροι.

108) Cf. Hense l. l. p. 116 sqq.

109) Cf. Hermann. II. p. 390. — Hoppe l. l. p. 18 sq.

110) Droysenius: „Seines gewaltigen jochs seh' ich das haus befreit."

111) Cf. Minuc. Fel. Octav. 5: Nimbis collidentibus mugire tonitrua . . .

112) Cf. Horat. carm. II, 11, 18: curas edaces.

Vita.

Natus sum Petrus Hermannus Ritters die XI. mensis Aprilis anni h. s. LIV. Krumstedti Holsatorum, patre Petro agricola, quem ante hos paucos dies morte mihi abreptum valde lugeo, matre Wiebke e gente Thiessen.

Fidei addictus sum evangelicae.

Elementis litterarum in ludo vici publico imbutus sum. Decimum septimum aetatis annum iam agens cum litteras capessere constituissem, scholis privatis linguarum Latinae Graecae Francogallicae primis rudimentis instructus vere anni h. s. LXXI. in Gymnasii Meldorpiensis classem tertiam receptus sum. Vere anni h. s. LXXVI. maturitatis examine superato studiis philologicis ut operam darem, in universitatem Kiliensem me contuli ibique per tria semestria scholis interfui vv. dd.: Blass, Forchhammer, Heise, Luebbert, Pfeiffer, Pfleiderer, Pischel, Sterroz, Thaulow, Volquardsen. Deinde stipendii anno expleto academiam Lipsiensem adii, ubi per quinque semestria me docuerunt vv. ill.: Arndt, Curtius, Heinze, Hildebrand, Lange, Lipsius, Ribbeck, Zarncke.

Omnibus his viris illustrissimis et de me optime meritis debitas habeo gratias.